DE QUINTILIANI LIBRO
QUI FUIT
DE CAUSIS CORRUPTAE ELOQUENTIAE

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
IN UNIVERSITATE LITTERARUM GEORGIA AUGUSTA
OBTULIT PROBATAMQUE EDIDIT

AUGUSTUS REUTER
POMERANUS

VRATISLAVIAE
APUD GUILELMUM KOEBNER
MDCCCLXXXVII

HERMANNO REUTER

PATRI CARISSIMO

ET

ADOLFO SEEBOHM

MEDICO MUENDENENSI

MEDICINAE CHIRURGIAE ARTISQUE OBSTETRICIAE DOCTORI

QUI EST

REGI BORUSSORUM A CONSILIIS VALETUDINIS

VIRO ET EGREGIE DE ME MERITO ET ANIMI IN ME SEMPER
VERE PATERNI

OPTIMIS VITAE RECTORIBUS

PIETATIS ERGO

30/VIII ET 30/X 1886

DIEBUS NATALICIIS

Conspectus commentationis.

PRAEFATIO.

Quintilianus, dum erunt homines memoriae bene meritorum litteris conseruandae studiosi, legetur, tractabitur, amabitur ab iis ipsis qui scribere aliquid, quod aetatem ferat, uolent. ita I M Gesnerus in dedicatione ad Muenchhausenium scripta et praemissa editioni Institutionis: quae prodiit Gottingae anno 1738. et recte quidem clarus ille scholae nostrae philologae, quae una cum Alma Matre Georgia Augusta tricesimum uitae lustrum mox peregerit, conditor et quasi ἀρχηγέτης. multum sane laboris ac sudoris homines docti imsumpserunt in Fabii Institutione*) et enarranda et emendanda. nemini tamen, quantum scio, in mentem uenit inquirere in librum eum quem temporis iniquitate nobis ereptum esse omnes lugent quicunque in rhetoricae artis memoriam indagandam incumbunt. liber enim quem Fabius composuit de causis corruptae eloquentiae si nobis esset seruatus, non futile esset adminiculum oratoriam artem quae Romae fuit primo post Christum saeculo perscrutantibus. opinabantur quondam teneri a nobis illum librum: Dialogum enim Taciti pro eo uenditabant: sed uehementer errauerunt. itaque in scholis quibusdam non inutile fore monuit Udalricus de Wilamowitz-Moellendorff, si quis librum quasi mortuum quodammodo ab inferis reuocaturus esset ad lucem. quod ego munus in me suscepi illo adhortante: functum eo me esse illo adiuuante et moderante grato animo profiteor. quod si qui operae meae erit fructus, plurima ex parte illi praeceptori meo benignissimo et ego debeo et debebunt qui haec legerint.

*) cf Mommseni in H R uol V iudicium quod profert p 70 hisce uerbis: . die Perle der spanisch-lateinischen Schriftstellerei ist M F Q aus Calagurris am Ebro. . . . . Sein Lehrbuch der Rhetorik . . . . ist eine der vorzüglichsten Schriften, die wir aus dem Altertume besitzen . . . . in scharfem und bewusstem Gegensatz zu der phrasenreichen und gedankenleeren Modelitteratur eqs.

Caput I.

De Quintiliano libri de causis corruptae eloquentiae conscripti auctore. de uocabulorum corrumpere et corruptus usu Quintilianeo.

De causis corruptae eloquentiae librum a se scriptum esse Quintilianus his locis testatur.

VI prooem § 3: nam ita forte accidit ut eum quoque librum quem de causis corruptae eloquentiae emisi iam scribere adgressus eqs.

VIII 6, 76: eundem locum plenius in eo libro quo causas corruptae eloquentiae reddebamus tractauimus.

Corruptae eloquentiae uoce quid indicetur apparebit, si inquisiuerimus in usum uocabulorum quae sunt corrumpere et corruptus Quintilianeum.

Non rhetorico sed communi modo usurpatur uerbum corrumpendi exempli gratia XII 2, 9, ubi legimus haec:

utinamque sit tempus unquam quo perfectus aliquis qualem optamus orator hanc artem [dicit philosophiam] superbo nomine et uitiis quorundam bona eius corrumpentium inuisam uindicet eqs. philosophiam dicit inuidia premi, quia superbo sit nomine et quia sint qui uitiis bona eius corrumpant. itaque bona quaedam posita esse in philosophia non negat, sed in mala uerti dicit ab iis qui illam profiteantur.

XII 1, 24 haec exstant:

an ei qui ad defendendas causas aduocatur non est opus fide, quam neque cupiditas corrumpat nec gratia uertat nec metus frangat. — gratia effici dicitur, ut fides quodammodo collum torqueat, ne uideat quae, si uideret, tolerare non posset. metu frangi fides dicitur, ut quae infirmior sit quam quae sustineat impetum

timoris. gratia igitur et metus ui quadam adlata fidem prohibent talem se praestare qualem debet. cupiditas autem naturam fidei dicitur ita immutare, ut puritate, quae eius est propria, neglecta fiat impura. uidemus corrumpere id esse quod rem per se bonam in deteriorem statum redigere. et hac omnino ui Fabius uerbum usurpat de moribus I 1, 4. IV 2, 70. 4, 5. V 13, 17. VIII 4, 23, de litteris quae insequentibus aliis naturam ponunt I 5, 69. VIII 3, 45 s f, de aliis rebus I prooem 27. I 1, 13. III 3, 3. obseruandum autem est uocem minime idem ualere quod perdere, pessumdare, delere. fit sane, ut ad hanc notionem prope accedat. at aliquantum interest inter utramque. quod optime perspicitur ex III 3, 3, ubi legimus haec:

uerum haec cuncta [dicit inuentionem, dispositionem, memoriam ad rem aptas] corrumpit ac propemodum perdit indecora uel uoce uel gestu pronuntiatio. ueritus scriptor dicere perire ceteras oratoris uirtutes pronuntiatione praua aduerbio propemodum uim uerbi perdere imminuit: praefert uerbum corrumpere, quippe quo bonae res in deterius flecti dicantur. neque alius nimirum quam is cuius natura in deterius declinauit uocatur a Fabio corruptus uelut I 5, 68. II 10, 6. VII 2, 3.

Quae cum ita sint, ex dicendi more Quintilianeo eloquentiam corrumpere is dicitur qui pulchram eius indolem in statum conuertit deteriorem, corrupta autem eloquentia ea est quae a pulchritudine perfecta ad formam minus pulchram est delapsa. atqui perfectam dicendi artem eam ille est arbitratus cuius ipse et imaginem animo conformauit et regulas praecepit. ergo cum scriberet de causis corruptae eloquentiae, scripsit de facundia hominum quos putauit ab orandi uia quam rectam ipse ducebat declinare. loci in quibus uis rhetorica inest in uerbis corrumpere et corruptus hi sunt: VIII 3, 58. IX 4, 17. X 1, 125. XII 10, 73 (dicendi genus corruptum) II 5, 10 (corruptae orationes) V 5, 2. VIII 3, 18. 5, 14. X 1, 129. deinceps ei qui eloquentam sanam corrumpunt, imagine quodammodo inuersa ipsi corrupti nominantur. neque id alienum est a sermone Latino, quippe quo qui alios perdit ipse audiat homo perditus. Hac ratione facundiae falsae adseclas notat Quintilianus locis his: II 3, 9. VIII prooem 17. 25. 3, 7. 5, 25. X 2, 14. 16. memorabilis est coniunctio ingenio corruptus; quae inuenitur II 7, 9. omnino huius usus est proprium, quod participium posita natura uerbali sumit uim ad-

iectiui. quod cum ex ceteris locis perspicitur tum ex eis in quibus superlatiuus formatur. qui sunt hi: VIII prooem 25. X 2, 14.

Videtur, ut id huic capiti subiungam, Fabius terminum corrupti e Ciceronis Bruto desumpsisse. ibi enim § 202 haec leguntur: cauenda est presso illi oratori inopia et ieiunitas, amplo autem inflatum et corruptum orationis genus. quo ex loco id quoque apparet adcurate illi termino respondere istud quod nos uocamus Manier. praeter hunc locum conferri possunt Bruti § 36 uerba haec: sucus ille et sanguis incorruptus usque ad hanc [Lycurgi Dinarchi Demadis] aetatem oratorum fuit, in qua naturalis inesset, non fucatus nitor.

Caput II.

De locis ex opere minore in Institutionem translatis.

Redeo ad librum de causis. exstant enim in Institutione praeter locos adlatos duos qui ad illum referendi sunt tres.

1) V 12, 17—23, ubi uerba haec sunt:

Quod eo diligentius faciendum fuit, quia declamationes quibus ad pugnam forensem uelut praepilatis exerceri solebamus, olim iam ab illa uera imagine orandi recesserunt atque ad solam compositae uoluptatem neruis carent, non alio medius fidius uitio docentium [sic lego cum Philandro, dicentium libri], quam quo mancipiorum negotiatores formae puerorum uirilitate excisa lenocinantur. | nam ut illi robur ac lacertos barbamque ante omnia et alia quae natura proprie maribus dedit parum existimant decora quaeque fortia, si liceret, forent ut dura molliunt: ita nos habitum ipsum orationis uirilem et illam uim stricte robusteque dicendi tenera quadam elocutionis cute operimus et, dum leuia sint ac nitida, quantum ualeant nihil interesse arbitramur. | sed mihi naturam intuenti nemo non uir spadone formosior erit, nec tam auersa unquam uidebitur ab opere suo prouidentia, ut debilitas inter optima inuenta sit, nec id ferro speciosum fieri putabo quod si nasceretur, monstrum erat. libidinem iuuet ipsum effeminati sexus mendacium, nunquam tamen hoc continget malis moribus regnum, ut si qua pretiosa fecit, fecerit et bona. quapropter eloquentiam, licet hanc (ut sentio enim, dicam) libidinosam resupina uoluptate auditoria probent, nullam esse existimabo, quae ne minimum quidem in se indicium masculi et incorrupti, ne dicam grauis et sancti uiri ostentet. an uero statuarum artifices pictoresque clarissimi cum corpora quam speciosissima fingendo pingendoue efficere cuperent, nunquam in hunc ceciderunt errorem, ut Bagoam aut Megabyzum aliquem in exemplum operis sumerent sibi, sed doryphoron illum aptum uel militiae uel palaestrae, aliorum quoque iuuenum bellicosorum et

athletarum corpora decora uere existimarunt: nos qui oratorem studemus effingere, non arma sed tympana eloquentiae demus? igitur et ille quem instituimus adulescens quam maxime potest componat se ad imitationem ueritatis initurusque frequenter forensium certaminum pugnam iam in schola uictoriam spectet et ferire uitalia ac tueri sciat, et praeceptor id maxime exigat, inuentum praecipue probet. nam ut ad peiora iuuenes [malorum ego addiderim] laude ducuntur, ita laudari in bonis mallent [sic lego cum libris A B, Halmius malent]. nunc illud mali est, quod necessaria plerumque silentia transeunt nec in dicendo uidetur inter bona utilitas. sed haec et in alio nobis tractata sunt opere et in hoc saepe repetenda.

2) II 4, 41m—42m uerba sunt haec:

fictas ad imitationem fori consiliorumque materias apud Graecos dicere circa Demetrium Phalerea institutum fere constat. an ab ipso id genus exercitationis sit inuentum, ut alio quoque libro sum confessus, parum comperi.

3) VIII 3, 56—58 haec inueniuntur:

κακόζηλον id est mala adfectatio per omne dicendi genus peccat: nam et tumida et pusilla et praedulcia et abundantia et arcessita et exultantia sub idem nomen cadunt. denique cacozelon uocatur quidquid est ultra uirtutem, quotiens ingenium iudicio caret et specie boni fallitur, omnium in eloquentia uitiorum pessimum; nam cetera parum uitantur, hoc petitur. est autem totum in elocutione. nam rerum uitia sunt stultum, commune, contrarium, superuacuum: corrupta oratio in uerbis maxime impropriis, redundantibus, comprehensione obscura, compositione fracta, uocum similium aut ambiguarum puerili captatione consistit. est autem omne cacozelon utique falsum, etiamsi non omne falsum cacozelon est: <cacozelo enim res>[1] dicitur aliter quam se natura habet et quam oportet et quam sat est. totidem autem generibus corrumpitur oratio quot ornatur. sed de hac parte et in alio nobis opere plenius dictum est et in hoc

[1]) Cacozelon et dicitur libri, cacozelon uero est quod dicitur cum Julio Victorio, qui quae praecedunt omisit, Bonnellius. Halmius re desperata lacunae signum posuit. ego enuntiato quod est a loco corrupto ad sat est causam adferri puto, qua omne cacozelon falsum sit. quod fieri censeo, si ita legimus ut scribendum proposui. opinor uitium inde ortum esse quod e duplici cacozelo librarius unum omiserit.

saepe tractabitur [sic lego cum Badio, tractatur libri] et adhuc spargetur omnibus locis. loquentes enim de ornatu subinde, quae sint uitanda similia uirtutibus uitia, dicemus.

In alio opere et alio libro ait Fabius: quin dicat librum de causis dubitari nequit. emiserat enim praeter hunc unam orationem in causa Naeuii Arpiniani habitam (cf VII 2, 24). duos uero, qui sub eius nomine ferebantur, libros artis rhetoricae, a pueris alterum, alterum ab adulescentibus ex sermone exceptum, non agnouisse intellegitur ex ipso quo adfert modo. cf I prooem § 7. itaque ne ex eis quidem in Institutionem quicquam potuit transferre.[2])

[2]) Declamationes quae feruntur sub nomine Quintiliani ei attribuendas esse negauerim. nam sententia C Ritteri, qui minores omnes Quintilianeas esse statuit in libro Die quintilianischen Declamationen inscripto (prodiit liber Friburgi et Tubingiae 1881) plane uidetur profligata esse ab A Trabandtio dissertatione Gryphiswaldiae anno 1883 emissa. Ritterus deinceps anno 1884, quo eius editio minorum declamationum est publicata, in praefationis pp III—V quasi res esset perspicua, inuenta sua repetiuit. neque aduersarium refellere, si quidem posset, neque noua de suo argumenta excogitare aut exponere homo doctus est dignatus. Trabandtius igitur l d demonstrat (cf maxime pp 17—32) eo quod Institutonis et declamationum locos inter se conspirantes contulerit Ritterus non apparere eiusdem auctoris esse declamationas atque Institutionem. nam quae communia sint utriusque libri non propria esse Fabii, sed passim inueniri apud alios quoque scriptores rhetoricos, Ciceronem, Cornificium, Senecam, rhetores minores. accedere quod materiae in declamationibus tractentur a Quintiliano in Institutione irrisae et explosae atque ipsam tractationem ineptissimam esse Tr multis locis adlatis ostendit. — ex declamationibus maioribus quinque has: III VI IX XII XIII (cf p 203) genuinas, ceteras spurias esse Ritterus censet. sed omnino declamationes a Quintiliano editas esse homo doctus ipse quam maxime eis improbauit quae dixit p 216: Es ist ganz gewiss, wenn diese Stücke von Q herrühren und vor der Herausgabe der Institutio bekannt waren, so mussten sie in derselben Erwähnung finden. atqui eas non commemorat in Institutione Quintilianus: ergo non scripsit. quam conclusionem R ut effugiat, sumit maiori artis rhetoricae libro, quem adulescentes inuito et nescio Fabio emiserunt, declamationes insertas fuisse. at quis ei concedet corpus declamationum quibus additae sint rhetorices regulae artem esse nuncupatum? (de hac re cf Trabandtium p 3 adn 1) postremo ut uel hoc largiaris, num tibi persuadebis tam uastam materiam paucis diebus a discipulis notando potuisse excipi? tam mirifica nemo nisi re desperata adfirmare audebit· nemo opinor nisi qui Ritteri erit similis. at uideo ipsum illum a se destitisse, cum in editionis praefatione p V dicat corpus maiorum declamationum falso Quintiliani nomine appellari. haec fortasse causa est, cur non simul omnes, sed minores tantum ediderit.

Illi igitur tres loci pro fragmentis habendi sunt quae ex libro deperdito ipse nobis conseruauit. accedit quartus, adlatus ille quidem, sed iam plenius exscribendus.

4) VIII 6, 73—76: quamuis est omnis hyperbole ultra fidem, non tamen esse debet ultra modum nec alia uia magis in cacozeliam itur. piget referre plurima hinc orta uitia, cum praesertim minime sint ignota et obscura. monere satis est mentiri hyperbolen, nec ita ut mendacio fallere uelit . . . . (§ 75) . . . (§ 76) . . . . sed de hoc satis, quia eundem locum plenius in eo libro quo causas corruptae eloquentiae reddebamus tractauimus.

VI prooem § 3 de argumento libri nihil dicit Fabius.

---

1) Libri quinti capitibus 1—12 Quintilianus exponit de ea parte inuentionis quae spectat ad probationem: in qua tractanda plurimum diligentiae insumit in ratione qua loci argumentorum excutiantur explananda. cf V 10, 20. nam haec explicatio non multo minus quam dimidiam libri partem implet. antequam deinceps transeat ad refutationem, excursu, qui a media § 17 incipiens continet caput 12 reliquum, facto se excusat, quod tam diu in topicis moratus sit. debebam, inquit, ita facere, quia qui declamando pueros et adulescentes instituunt ipsam hanc partem docere non solent: quo fit, ut non ad causarum forensium ueritatem, sed ad inanem uoluptatis captationem discipulos praeparent. ac iam acerbissima ductus indignatione confert illos cum mangonibus qui spadones faciunt uenduntque[3]). nam quemadmodum sceleratissimi illi uirilitate excisa mollem et eneruem efficiunt formam puerorum, ita declamatores robur frangunt ingeniorum: adsectantes utrique pulchritudinis imaginem peruersam. placeant corpora libidinis causa mutilata libidinosis hominibus: aliter iudicat qui sanctam nouit naturam, aliter senserunt qui statuis fictis pictisue tabulis admirationem et delectationem mouerunt ueram. etenim perfecti uiri forma pulchrius nec mente excogitari neque arte exprimi potest. sic ne oratoriae quidem artis praeceptor disciplina sua maius meliusue conformare potest

[3]) Scelestissimum illum morem Fabii temporibus frequentem fuisse docet Suetonius u Domitiani c 7, ubi haec narrat de imperatore: castrari mares uetuit: spadonum qui residui apud mangones erant pretia moderatus est.

quam uirilem orationem. non qualis auditoria uoluptate permulceat, sed qualis aduersarium profliget, adulescens formandus est.

Haec iactat Fabius contra magistros declamandi. atque cum ex libro de quo quaerimus locum nostrum desumptum esse constet, sequitur ibi eum de declamationibus ita exposuisse, ut ex praua scholarum condicione unam saltem corruptae eloquentiae causam repeteret.

Item uidemus, cuius uitii arguat falsae facundiae auctores et adseclas. infitiatur enim argumentandi satis eos habuisse rationem. iam uero qui argumenta non curat, non dat operam quam debet inuentioni: ergo neglegit res de quibus est dicendum. res autem Quintilianus censet neruos esse causarum. cf VIII prooem § 18. itaque qui his carent eos dicit carere uirilitate: unde tota fluxit corruptorum cum spadonibus collatio.

2) Loco adlato altero docemur oratorem in libro de causis siue attigisse siue mouisse quaestionem quae fuerit de origine declamationum. quod ibi confessus erat, hic repetit: nescire enim se dicit, utrum Demetrius Phalereus, cuius temporibus illae exercitationes moris Graeci sint factae, eas inuenerit an alius quisquam. quodsi in libro illam quaestionem leuiter perstrinxit, ex mentione Phalerei nihil licet colligere. sin uero paulo altius in rem inquisiuit, non improbabile est in illa libri parte infuisse memoriam declamationis eodem modo breuiter enarratam, quo Institutionum VI 1 rhetorices, X 1 litterarum Graecarum et Romanarum memoria comprehenditur. sed cum statui nequeat, datane opera egerit de declamationum origine necne, ne coniectura quidem illa fundamento nititur. — animaduertendum est cum eis quae Q refert de Demetrio satis consentire Ciceronem. is enim Orat 95 haec dicit: laetae eruditaeque disputationes ab eodem explicantur et loci communes sine contentione dicuntur. communes autem loci, Fabius inquit II 4, 22, ... ex mediis sunt iudiciis, et si reum adicias, accusationes. et II 1, 11 sq apud eundem haec inueniuntur: non communes loci ... et pro testibus et in testes in mediis litium medullis uersantur? arma sunt haec quodammodo praeparanda semper, ut iis, cum res poscat, utare. hinc apparet ab eis qui locos communes tractent, declamari. ergo iam Cicero aliquo modo dixit declamationes originem ducere a Phalereo. quae est res ualde memorabilis. cf F Blass, D griech Beredsamkeit u s w

(Berlin 1865) p 109, ubi de thesibus quae cum locis cognatione coniunctae sunt, pauca profert.

3) Liber octauus totus est de elocutione, cuius unam uirtutem esse censet Quintilianus, quod perspicua (cap. 2), alteram, quod ornata sit (cap. 3). ornatus constat et singulis uerbis (3, 15) et sermone coniuncto (3, 40). de quo antequam sua det praecepta, demonstrat, quae in eo uitanda sint uitia. ex his unum est κακόζηλον, de quo agit paragraphis a me exscriptis: quod quidem, ut ibi ait, omnium est pessimum, quia cetera uitia parum uitantur, hoc ultro petitur. de hoc igitur uitio in libro de causis plenius se exposuisse dicit. unde efficitur ibi naturam κακοζήλου ab eo esse explicatam: in quam cognoscendam paulo post animum conuertamus. interim teneamus in elocutione illius uitii sedem esse.

4) VIII c. 6 sub finem Quintilianus hyperbolen tractat. monet, ne haec figura supra iustum modum tollatur: nam ita maxime aberrari in κακοζηλίαν. adcuratius de hyperbole exponere non in animo est, quia iam fusius exposuerit de ea in libro de quo quaerimus. de hyperbole igitur sermo fuit in illo. ex mentione autem cacozeliae colligere licet expositionem, quae fuerit de figura cum ea quae fuerit de κακοζήλῳ simili modo cohaesisse in illo libro ac nostro loco: de qua re item post erit uidendum.

Ex locis quos Fabius e minore opere desumptos inseruit in maius apparet in illo haec infuisse:

1) Corrupta eloquentia peccat eo quod res non satis magni aestimat.

2) Corruptorum elocutio grauissimo laborat uitio κακοζήλου.

3) Corruptae eloquentiae causa in eo collocata est, quod artis oratoriae magistri discipulos non ad docendos, sed ad delectandos iudices praeparant.

Huc accedit, id quod pusilli momenti est, quod mentio fit Demetrii Phalerei in origine declamationis explicanda.

Pauca nobis supersunt ex libro quem scripsit Quintilianus de causis corruptae eloquentiae. atque cum praeter ipsum nemo hunc librum commemorauerit Institutionis gloria penitus obscuratum, nullo modo fieri potest ut de eius argumento plura sciamus quam ea quae congesta explicabam. sed illa quae tulerint

aetatem ut melius intellegamus, possumus adsequi. nam multi exstant in Institutione loci qui spectant ad genus dicendi a Fabio libro minore impugnatum. de quo genere aliter, cum librum, aliter, cum opus maius scripserit, eum sensisse nemo putabit. itaque ex eis quae referenda sunt ad eloquentiam corruptam, suppleri possunt fragmenta libri quam scripsit de illius causis. in qua nos opera uersantes sane non efficiemus, ut supplendo aedificium quod olim fuit denuo exstruamus, sed fortasse continget, ut aliquam notitiam adipiscamur magnae et potentis eius sectae in quam erupit ira doctoris tum praeter omnes excellentis.

Caput III.

De corrupta eloquentia deque eius causis quid senserit Quintilianus.

1. Neglegunt corrupti res.

Vidimus ex V 12, 17 sqq corruptos primum eo a sanis differre, quod res neglegant. quin re uera haec sit Quintiliani sententia, forsitan quis dubitet inspecta VIII prooem §^{0} 17^{a}, ubi haec leguntur:

Neque Asiani aut quocunque alio genere corrupti res non uiderunt aut eas non collocauerunt neque quos aridos uocamus stulti aut in causis caeci fuerunt, sed his iudicium in eloquendo ac modus, illis uires defuerunt, ut appareat in hoc et uitium et uirtutem esse dicendi.

quid igitur? nonne confitetur inuentionis et dispositionis peritos esse Asianos et corruptos, in elocutione nonne eos dicit aberrasse a uero? — quomodo sententiae sese excipiant uideamus. inde a §^{0} 13^{a} probare uult partem operis quae sit de elocutione etiam grauiorem esse quam quas tractauerit, inuentionem et dispositionem. quod magnum eloquendi pretium ut quam clarissime lecturis ponat ante oculos, sub finem huius sectionis dicit genera dicendi ab eo optime distingui qui maxime respiciat elocutionem eorum propriam. non est igitur quod miremur aliquam rerum cognitionem tribui aduersariis ab oratore: qui quidem prudenter ait: uiderunt res: unde minime sequitur eum putauisse res etiam recte tractatas esse ab illis.

Atque eis quae subsequuntur in prooemio[4]), §§ 18—22, apparet, quo ille modo arbitratus sit corruptos in rebus peccare. ex quibus haec exscribo:

---

[4]) VIII prooem § 12 e scriptura codicum, quae est haec: credere modo qui discet uelit { certa A / tetram. G / terciam M } quaedam uaria est, ueteres editores finxerunt hoc: certam quandam uiam esse: quod probari non posse

Non ideo tamen sola est agenda cura uerborum. occurram enim necesse est et.... resistam iis qui omissa rerum, qui nerui sunt in causis, diligentia quodam inani circa uoces studio senescunt idque faciunt gratia decoris, qui est in dicendo mea quidem opinione pulcherrimus, sed cum sequitur, non cum adfectatur. (§ 20).... illa translucida et uersicolor quorundam elocutio res ipsas effeminat quae illo uerborum habitu uestiantur. curam ergo uerborum, rerum uolo esse sollicitudinem eqs.

Ex sententia Quintiliani orationi est propositum, ut ea quae in cogitatione sint uerbis indicet. itaque in sermone formando ante omnia opera est danda, ut cogitatae rei imago quam simillima exprimatur. sermo enim per se non multum ualet, ualet plurimum, si animatur cogitatione. corrupti autem opinantur per se aliquid esse uerba: qua ducti opinione magis quam inuentioni student elocutioni itaque id ipsum eorum est vitium quod praeferunt curam eloquendi curae cogitandi peccantque eo quod rationem quae debet intercedere inter res et uerba rectam in falsam conuertant. atque his sententiam Quintiliani uere esse redditam patet uerbis quae ille facit de probationibus in arte positis V 8, 1—3: e quibus adfero haec:

Pars altera probationum, quae est tota in arte constatque rebus ad faciendam fidem adpositis, plerumque aut omnino neglegitur aut leuissime attingitur ab iis qui argumenta uelut horrida et confragosa uitantes amoenioribus locis desident neque aliter quam ii qui traduntur a poetis gustu cuiusdam apud Lotophagas graminis et Sirenum cantu deleniti uoluptatem saluti

---

Spaldingius demonstrat adlatis locis his: V 14, 31. VII prooem 4. VII c 10 sf. XII 2, 26. sed quod ipse coniecit terram quandam uariam esse non placet, quia subiectum accusativi cum infinitiuo non facile suppletur et quia metaphora illa satis est obscura. in eis quoque quae protulerunt Gernhardus tritam quandam uiam esse et Happelius (Anal crit p 16) materiam quandam uariam esse desideramus subiectum. quod uero Wolffius inuenit artem quidem uariam esse ne uerum quidem est. nam Quintilianus VIII 10 14 sq dicit artis i e τέχνης rhetoricae esse certa dare praecepta, oratoriae facultatis uarietatem uitae sequi uariis dicendi modis. Halmii illud materia quidem uaria est falsum mihi uidetur esse, quia uerba credere quae discet uelit cum subsequentibus puto iungenda esse. itaque proposuerim ut legatur sic: artem certam, eloquentiam uariam esse. haec sententia adcurate respondet eis quae Fabius profert libri VII[1] loco adlato. nec uiolenta est medela quam uerbis admoueo.

praetulisse, dum laudis falsam imaginem persecuntur, ipsa propter quam dicitur uictoria cedunt. atqui cetera quae continuo magis orationis tractu decurrunt in auxilium atque ornamentum argumentorum comparantur neruisque illis quibus causa continetur adiciunt inducti super corporis speciem .... (§ 3) sed horum esse opera in rebus aut certis aut de quibus tanquam certis loquimur potest. ..... nec abnuerim esse aliquid in delectatione, multum uero in commouendis adfectibus: sed haec ipsa plus ualent, cum se didicisse iudex putat: quod consequi nisi argumentatione aliaque omni fide rerum non possumus.

Quem locum conferentes cum V 12, 17 sqq facile intellegimus in utroque idem eorundem hominum uitium uituperari, id est corruptis obici neglegentiam rerum.

2. Peccant corrupti elocutione.

Elocutioni corruptorum crimini dedisse Quintilianum in libro de causis τὸ κακόζηλον apparet ex VIII, 3, 56. idem ualet uox κακοζηλίας, qua utitur locis, qui item spectant ad corruptos, VIII 6, 76 et II 3, 9; ubi haec leguntur: .... tumidos et corruptos et quocunque alio cacozeliae genere peccantes eqs. quam uocem technicam Latine sic uertit VIII 3, 56, ut reddat termino malae adfectationis. quid igitur adfectat cacozelia, et cur dicitur male id adfectare?

Adfectat is qui pravo studio ducitur uirtutem oratoriam. sed cum non recte iudicet, quibus rebus constet uirtus, falsa specie uirtutis adlectus deducitur in uitia. pulchra igitur captat, adsequitur turpia. unde fit ut eius elocutio careat perspicuitate et ornatu: hae enim laudes sunt elocutionis. (cf VIII 2, 1. 3, 1). itaque cacozelia cum peruersa ratione adpetat bonas res, merito mala nominatur adfectatio.

Atque quae sit illa uirtus cuius amore cacozelia aberret in uitia perspicitur ex VIII 6, 76, ubi Quintilianus dicit nulla alia uia magis in cacozeliam iri quam nimis elata hyperbole. hyperbole enim est tropus, tropis autem ornatur oratio; ergo peccat cacozelia falso ornatus adpetitu.

Cum qua definitione conueniunt quae de κακοζήλῳ[5]) ex-

---

[5]) Primus termino usus est, quantum scimus, Neanthes Cyzicenus: quod monuit Wilamowitzius in scholis de libro qui est περὶ ὕψους habitis.

ponuntur ab aliis rhetoribus. Hermogenes quidem (quem exscripsit anonymus περὶ σχημάτων (Spengel III p 118), cf praef p IX) in libri de inuentione particula 4, 12 (Spengel II p 256 sq) dicit haec:

τὸ δὲ κακόζηλον γίνεται ἢ κατὰ τὸ ἀδύνατον ἢ κατὰ τὸ ἀνακόλουθον ὃ καὶ ἐναντίωμά ἐστιν ἢ κατὰ τὸ αἰσχρὸν ἢ κατὰ τὸ ἀσεβὲς ἢ κατὰ τὸ ἄδικον ἢ κατὰ τὸ φύσει πολέμιον, καθ' οὓς τρόπους καὶ ἀνασκευάζομεν μάλιστα τὰ διηγήματα ἐκβάλλοντες ὡς ἄπιστα. διά τοι τοῦτό φαμεν καὶ τὰς διασκευὰς (i e ornamenta) μέχρι τοῦ εἰκότος προχωρεῖν, ὡς, εἰ παρὰ τὸ εἰκὸς εὑρεθείη τι, πάντως κακόζηλον ἐσόμενον καὶ ἐμπεσούμενον τῇ ἀνασκευῇ. καὶ γὰρ ἐκεῖ λέγομεν οὐκ εἰκὸς τόδε πραχθῆναι ἢ ὅτι ἀδύνατον ἢ ὅτι αἰσχρὸν καὶ τὰ ἑξῆς. γίνεται δὲ τὸ κακόζηλον ὅμως καὶ τροπικῇ λέξει μιᾷ χρησαμένων ἡμῶν εἶτα τὸ πλῆρες τῆς τροπῆς ἀναδοῦναι μὴ δυναμένων.[6]) his quoque intellegitur prauum studium falso ornatu nocere elocutioni.

Quod autem genus dicendi inter tria quae distinguuntur a rhetoribus maxime obnoxium sit illi uitio, docent incertus περὶ ὕψους libelli auctor et Demetrius. atque hic in libri de elocutione capite 186 (Spengel III p 302 sq) sic uerba facit: καθάπερ δὲ τῷ μεγαλοπρεπεῖ παρέκειτο ὁ ψυχρὸς χαρακτήρ, οὕτω τῷ γλαφυρῷ παράκειταί τις διημαρτημένος, ὀνομάζω δ' αὐτὸν τῷ κοινῷ ὀνόματι κακόζηλον. quod 187—189 exemplis illustrat secundum διάνοιαν, ὀνόματα, σύνθεσιν.[7]) in libro autem qui est de sublimitate

---

legimus enim apud Suidam s u haec: ἔγραψε περὶ κακοζηλίας ῥητορικῆς. atque cum Neanthes sit discipulus Philisci Milesii Isocratei, in officina Isocratica illa notio est fabricata. quam quo modo definierit ille non constat: nisi quod ζῆλος idem esse uidetur quod genus dicendi h e Stil. sic uocem usurpat Caecilius cuius libellus commemoratur inscriptus τίνι διαφέρει ὁ Ἀττικὸς ζῆλος τοῦ Ἀσιανοῦ apud Suidam s u.

[6]) Ex eis quae dicit p 258: γίνεται δὲ τὸ κακόζηλον καὶ κατὰ τὸ εὐτελὲς πολλάκις eqs cognoscitur paulo latiore huius uitii notione eum uti quam Fabium.

[7]) Cf 239 (p 314 Sp), ubi dicit: πολλάκις μέντοι τὸ μὲν διανόημα αὐτὸ ψυχρόν τί ἐστι καί, ὡς νῦν ὀνομάζομεν, κακόζηλον. ne quis tamen putet διάνοιαν s διανόημα idem esse quod nos dicamus Inhalt der Rede, non inutile erit monere inter figuras, quae sine dubio pertinent ad elocutionem, distingui figuras (= σχήματα) διανοίας et λέξεως. cf Inst I 8, 16 VI 3, 70. IX 1, 17. διάνοια enim est sententia quae singulis orationis partibus i e uerbis et enuntiatis indicatur. sic Fabius IX 1, 5 dicit de hyperbole: et rebus fit et uerbis, id est Graece διανοίᾳ τε καὶ λέξει s ὀνόμασιν. aliae sunt res ad quas spectat inuentio et dispositio: hae enim pertinent ad totam orationem cuius sunt nerui.

3, 4 (p 13, 14 Jahn = I 148, 18 Sp) haec inueniuntur: τί ποτ᾽ οὖν τὸ μειρακιῶδές ἐστιν; ἢ [sic cum Fabro pro ἢ] δῆλον ὡς σχολαστικὴ νόησις, ὑπὸ περιεργίας λήγουσα εἰς ψυχρότητα; ὀλισθαίνουσιν εἰς τοῦτο τὸ γένος ὀρεγόμενοι μὲν τοῦ περιττοῦ καὶ πεποιημένου καὶ μάλιστα τοῦ ἡδέος, ἐποκέλλοντες δὲ εἰς τὸ ῥωπικὸν καὶ κακόζηλον.

Genus igitur quod qui nimis cupide adpetunt longissime deflectunt a uero est illud quod medium s floridum (ἀνθηρόν) apud rhetores audit. cf Inst XII 10, 58 sqq. medius autem hic modus debet esse, ut utar uerbis Fabii, (§ 60) et translationibus crebrior et figuris iucundior, egressionibus amoenus, compositione aptus, sententiis dulcis, lenior tamen, ut amnis lucidus quidem, sed uirentibus utrimque ripis inumbratus. ut largis igitur ornamentis efferatur, huius generis est proprium: quapropter cum illi κακόζηλον maxime imminere audiamus, cognoscimus illud uitium positum esse in ornatus nimia cupiditate.[7a.]) atque id ipsum paulo ante ex Quintiliani uerbis conclusimus.

[7a.]) Ex his apparere existimo falli R Volkmannum Artis Rhetoricae Graecorum et Romanorum[2] p 406 dicentem: Von Demetrius . . . . und noch mehr von Hermog de inu IV 12 p 256 — quem ipsum locum supra attuli — wird das κακόζηλον keineswegs auf den Ausdruck allein beschränkt, sondern es fällt ihnen jedwede Uebertreibung in Inhalt und Form der Rede unter diese Bezeichnung. quod uero ita pergit: Der Begriff des κακόζηλον fällt zusammen mit dem Begriff des ψυχρόν eqs, dormitauisse uidetur bonus ille Homerus. nam cacozeliam uitium esse medii generis i e γλαφυροῦ χαρακτῆρος et nos demonstrauimus et ipse Volkmannus docet p 541 sq, ubi nos relegat ad locum a me exscriptum. accidit igitur uiro docto ut locos quos conferri uellet a lecturis ipse non conferret. ψυχρὸν autem secundum Demetrium l d oppositum est generi grandi. itaque genera inter se diuersa confudit homo doctissimus.

Cum gaudio idem fere quod supra dixi legi Porphyrionis in commentario ad Horati Artem u 28, ubi haec exstant: erramus, inquit, dum conamur ueram uirtutem sequi, uicina uirtute [uirtuti apud Meyerum p 345, legendum forsitan sit uirtutibus] in uitia incidimus. nam breuiter scribentem sequitur obscuritas, leuia componentem nerui inhibent, diserta profitentem κακόζηλα [lege κακοζηλίᾳ] uitiant spreta rerum inspectione. novus mihi testis exstare uisus est qui definitionem nostram, si opus esset, probaret. at idem, opinor, est, idem atque quem audiuimus: ipse est Quintilianus. an cogitari nequit hominem grammaticae et rhetorices bene peritum, siue alterius p Chr saeculo cum Teuffelio[4] p 877 adscribimus, siue quarto cum Meyero (praef VI) ex Fabio illa excerpisse? eadem certe uerba sunt atque oratoris: cf Inst II 4, 9. VIII 3, 53. II 12, 14. et ut ita sentiam, ipse monet Porphyrio his locis: ad Serm II 5, 41. Epistul I 11, 23. 12, 19.

Denique Seneca pater tribus locis commemorat cacozeliam: Suas 7, 11 (p 55 Kiessling). Controu IX 1, 15 (p 399). 2, 28 (p 411): e quibus adfero tertium. uerba sunt: Ecce et aliud genus cacozeliae est quod amaritudinem uerborum quasi adgrauaturam res petit, ut.... Licinius Nepos dixit: reus damnatus est legi, periit fornici. — uidemus nimio ἀντιθέσεως amore hic peccatum esse, ἀντιθέσεις autem pertinent ad ornatum.[8])

Altera elocutionis uirtus posita est in perspicuitate, altera in ornatu: hanc captans utramque perdit cacozelia. ac perspicuitatem prauo excolendae orationis adpetitu obscurari Quintilianus dicit VIII 2, 17—18. 21, ubi prima uerba haec sunt: est in quibusdam turba inanium uerborum, qui dum communem loquendi morem reformidant, ducti specie nitoris circumeunt omnia copiosa loquacitate, eo quod dicere nolunt ipsa. — huc faciunt ea quoque quae leguntur in huius libri prooemio, §§ 22—25. adfero haec: (§ 24) quod recte dici potest circumimus amore uerborum et quod satis dictum est repetimus et quod uno uerbo patet pluribus oneramus et pleraque significare melius putamus quam dicere. quid, quod nihil iam proprium placet, dum parum creditur disertum quod et alius dixisset? a corruptissimo

C S 10 (hunc locum Volkmannus subministrat p 406[1]). quae qui legerit a mea non discessurum esse parte spero. adde quod Donatus quoque (cf Volkmannum l d) ad Terenti Eunuchum I 2, 112 (u 192 Fl) termino κακοζηλίας utitur. quem uterque unde sumpserit sibi nisi a Quintiliano equidem non uideo. nam ei qui Fabio illum terminum tradiderunt certe non lecti sunt a grammaticis. quodsi illud audacius conclusium esset, tamen memorabile per se est grammaticos qui in poematum explicatione uersati sint illam uocem technicam e rhetorica arte in suam transtulissee.

[8]) Apud Suetonium in uitae D Augusti c 86 ei qui κακοζήλῳ peccant ipsi cacozeli nominantur. uerba sunt haec: cacozelos et antiquarios ut diuerso genere uitiosos pari fastidio [Augustus] spreuit, imprimis Maecenatem eqs. adfert hunc locum et tres Senecae J G Schneiderus in adnotatione ad Demetrii 18, 6 facta. (p 166 eius libelli editi Altenburgi 1779). ad quem ibi nos delegat homo doctus, A Schottus eis quae dicit ad Suasoriam 7 (editionis quae prodiit 1603 Antuerpiae p 34 k) de κακοζήλου natura multo rectius quam Volkmannus statuit. — cf etiam Galenum in Hippocratis aphorismis et Galeni in eos commentariis no 67 (Ed Chart IX p 330 = ed Kuehnianae XVIII 1 p 179 sq), ubi uerbis κακόζηλον et κακοζήλως omnino modus dicendi a trita via diuersus indicatur.

quoque poetarum[9]) figuras seu translationes mutuamur, tum demum ingeniosi scilicet, si ad intellegendos nos opus sit ingenio. — atque his aliqua ex parte significatur non modo perspicuitatem, sed etiam ipsum ornatum deprauari ab eis qui falso iudicio instructi ornamenta orationis aucupentur. quam sententiam Fabius et manifesto profert et probat libri in quo euoluendo uersamur c 3 § 6—14. ibi enim imagine de fundo desumpta exponit ea quae ornamenti causa fiant tum demum uere pulchra esse, si coniuncta sint cum utilitate. atqui utilitatem orationis eo constare ut superetur aduersarius. ergo qui non ad uictoriam eius pro quo uerba faciat tendat, sed ad uoluptatem eorum qui audiant solam, non utilem praestare illum orationem ob eamque rem ne pulchram quidem aut uere ornatam.

Videmus, quam arcte haec cohaereant cum rerum crimine neglectarum, de quo paulo ante egimus. tamen aliquid interest inter locum ibi tractatum et locos proximos. ibi enim ostenditur curam elocutionis nimiam nocere eloquentiae, hic nimiam excolendae orationis curam ipsi quoque elocutioni esse perniciosam. —

Totidem generibus corrumpitur oratio quot ornatur, Quintilianus ait eo loco unde profecti in cacozeliae naturam inquirebamus (VII 13, 58).[10]) quod dictum secuti indagemus singulas res quibus rhetorum secta corruptorum, cum deberet ornare, deprauauerit elocutionem.

Atque hyperbole imprimis id fieri iam uidimus. memorabile est etiam libelli qui est περὶ ὕψους auctorem monere, ne altius quam iustum sit hyperbole extendatur. apud eum enim legimus haec 38 (p 59 sq u 38 sq Jahn = I 287 s f Spengel):

---

[9]) Animaduertendum est nolle Fabium elocutiones pedestrem et poeticam inter se misceri: qua quidem re illa aetate ab auctoribus et huius et illius generis uehementer peccabatur. cf VIII 6, maxime § 17 sq. tamen non plane abnuit imitandos esse quodammodo poetas uelut Euripidem et Menandrum cum aliis comicis. X 1 § 67—69. eodem modo iudicauit Dio Chrysostomus or 18 (Dind II p 281.) ait enim: τῶν μὲν δὴ ποιητῶν συμβουλεύσαιμ' ἂν σοι Μενάνδρῳ τε τῶν κωμικῶν μὴ παρέργως ἐντυγχάνειν καὶ Εὐριπίδην τῶν τραγικῶν κτέ. conferre iuuabit totam hanc sectionem illustris orationis.

[10]) Cf π ὕψους 5 (p 16, u 7, Jahn = I p 250 Sp) ἀφ' ὧν ἡμῖν τἀγαθὰ σχεδὸν ἀπ' αὐτῶν τούτων καὶ τὰ κακὰ γεννᾶσθαι φιλεῖ. . . . τοιοῦτόν πως καὶ αἱ μεταβολαὶ καὶ ὑπερβολαὶ καὶ τὰ πληθυντικά. δείξομεν δ' ἐν τοῖς ἔπειτα (i e 38 = p 60, u 1, J) τὸν κίνδυνον ὃν ἔχειν ἐοίκασιν.

εἰδέναι χρὴ τὸ μέχρι ποῦ παροριστέον ἕκαστον. τὸ γὰρ ἐνίοτε περαιτέρω προεκπίπτειν ἀναιρεῖ τὴν ὑπερβολὴν καὶ τοιαῦτα ὑπερτεινόμενα χαλᾶται, ἔσθ' ὅτε δὲ καὶ εἰς τὰς ὑπεναντιώσεις ἀντιπεριίσταται. ceteros quoque tropos immodice orationi adhibitos nocere ornatui cum per se patet tum sequitur e loco ex Hermogene p 21 exscripto. cf etiam περὶ ὕψους 32, 7 (p 53, 7 = I p 281 Sp).

De similitudinibus Quintilianus VIII 3 inde a § 72 agit: quas quo faciliores sint intellectu eo dicit esse meliores. deinceps §[i] 76[ae] uerba sunt haec: quod quidem genus a quibusdam declamatoria maxime licentia corruptum est: nam et falsis utuntur, nec illa iis quibus similia uideri uolunt adplicant. quorum utrumque in his est quae me iuuene[11]) ubique cantari solebant: magnorum fluminum nauigabiles fontes sunt, et: generosioris arboris statim planta cum fructu est.

Orationem ornant etiam sententiae. haec uox si ui rhetorica usurpatur, indicat enuntiatum eiusmodi, quod cum re non postuletur, tamen grauitate et decore orationem efferat. de quibus sententiis Fabius VIII 5 § 2 dicit haec: minus crebrae apud antiquos nostris temporibus modo carent. post agit de sententiarum quibusdam generibus, e quibus id maxime a corruptis adamatum uidetur fuisse quod est clausularum. clausula ornat finem enuntiati aut periodi: qui si sono graui aures audientium implet, magis eorum mouet animos, quam si leuibus uerbis oratio non tam desinit quam euanescit. hac obseruatione rectissime facta praue ita utebantur corrupti, ut uano et tumido strepitu periodos clauderent. quod Fabius notat l d § 13 sq hunc in modum: uocatur aliquid et clausula: quae si est quod conclusionem dicimus, et recta et quibusdam in partibus necessaria est .... [exemplum ex Cicerone]. sed nunc aliud uolunt, ut omnis locus, omnis sensus in fine orationis feriat aurem. turpe autem et prope nefas ducunt respirare ullo loco qui adclamationem non petierit. inde minuti corruptique sensiculi et extra rem petiti: neque enim possunt tam multae bonae sententiae esse quam necesse est multae sint clausulae. — deinceps eiusdem capitis §§ 20—25 cetera sententiarum genera qualia in usu fuerint corruptorum enumerat et exemplis a se ipso auditis inlustrat. omnia

---

[11]) Exempla desumit de sua disciplina iuuenili. ipse igitur a corruptis uel eorum similibus, quos uir tanta ira persequitur, adulescens est institutus.

autem esse dicta in corruptos intellegitur e uerbis quibus ad praecepta continuanda Fabius se uertit. quae sunt haec: sed finis non erit, si singulas corruptorum persequar formas. illud potius quod est magis necessarium. —

De figuris uerborum IX 3 Quintilianus explicat. cuius explicationis finem ita facit, ut increpet eos qui nimio eorum usu peccent. de quibus § 100 haec dicit: sunt qui neglecto rerum pondere et uiribus sententiarum, si uel inania uerba in hos modos deprauarunt, <figurarum>[12]) summos se iudicent artifices ideoque non desinant eas nectere quas sine substantia sectari tam est ridiculum quam quaerere habitum gestumque sine corpore. § 101 et 102 secuntur argumenta quibus illius orationis peruersitatem refutat. — corruptorum quin illa sit immodestia qua florida uerba quaerantur, ubi re postulentur simplicia, non est quod dubitemus.

Multum ualet ad orationem ornandam compositio. ea enim fit ut orationis membra ab audientibus et legentibus recte distinguantur. quapropter eius est munus, ut periodi, membra, incisa (κῶλα, κόμματα IX 4, 23) iustam habeant formam, commodam iuncturam, dilucidum ordinem, item, ut per scitam uerborum positionem sentiatur inesse in oratione modum quendam prudenter emensum et aequabiliter ponderatum. quem rhetores uocant numerum: idem est nomen quo utuntur in re metrica, quia res est eadem. itaque illum non secius quam in uersibus in prosa quoque oratione referunt ad pedes. ac de pedibus numeroque Quintilianus IX 4, 6 dicit haec: parui pedes uim detrahunt rebus

[12]) Figurarum puto in apodosi uel hoc uel alio loco excidisse. nam primum artifex uocabulum cum genetiuo non iunctum rarissime apud Q inuenitur ea ui quam hoc loco poscimus. qua quidem idem ualeat necesse est quod perfectus orator. uno tantum loco et hanc habet uim et cum genetiuo non connectitur: V 13, 30. duobis locis, ubi id fieri existimes, positum est ui praegnanti: II 5, 8. XII 10, 50. ceteroquin genetiuus ad supplendam notionem additur uelut II 15, 18: Gorgias . . . . suadendi se artificem . . . . esse ait. XI 1, 85. 3, 73. artifices qui artem tractant statuariam et picturam uno excepto loco, ubi dubitari nequit quam artem profiteantur artifices illic nominati (VIII 5, 26), semper secum ducunt artis suae nomen. cf V 12, 21. XII 10, 6. 9. — deinceps offendo in eo quod eas pronomen non habet quo referatur. nomen pro quo ponitur est figurae: id uero in vicinia non reperitur. quodsi figurarum inserimus, omnia bene se habent. qui quidem genetiuus facile neglegentia librarii potuit omitti, ut qui paulum distet a genetiuo sententiarum.

ut Sotadeorum et Galliamborum et quorundam in oratione simili paene licentia lasciuientium. — fusius de ea re disputat eiusdem capitis §§ 142 sq ita: in uniuersum autem, si sit necesse, duram potius atque asperam compositionem malim esse quam effeminatam et eneruem, qualis apud multos et cotidie magis lasciuis syntonorum modis saltat. ac ne tam bona quidem ulla erit, ut debeat esse continua et in eosdem semper pedes ire. nam et uersificandi genus est unam legem omnibus sermonibus dare et id cum manifestae adfectationis est.... tum.... taedium ex similitudine ac satietatem creat quoque est dulcius, magis perdit amittitque et fidem et adfectus motusque omnis qui est in hac cura deprensus.[13]) — hi loci non aliter comparati sunt quam is quo agitur de figuris uerborum. impugnat Fabius quosdam rhetores, et id quidem tunc temporis apud plerosque acceptos. quorum cum uituperet immodestiam et adfectationem, in corruptos inuehitur.

Omnium quae in illorum elocutione reprehendenda sibi uidentur censuram facit qua singula cum singulis quae alioquin sint monita componat XII 10, 73: ubi uerba haec sunt: falluntur.... plurimum qui uitiosum et corruptum dicendi genus quod aut uerbum licentia exsultat aut puerilibus sententiolis lasciuit (cf VIII 5, 14, 19—25) aut immodico tumore turgescit (cf VIII 6, 76. II 3, 9) aut inanibus locis bacchatur (cf VIII 3, 56) aut casuris, si leuiter excutiantur, flosculis nitet (VIII 3, 6, 11, 76) aut praecipitia pro sublimibus habet (VIII 6, 76) aut specie libertatis insanit, magis existimant populare atque plausibile.

In conspectum uocaui omnes Institutionis locos quibus Quintilianus corruptorum in eloquendo uitia carpit. atque ex eo quidem quod illa reprehendit elucet potuisse similes earum quas enumeraui uituperationum in libro de causis conscripto inesse: infuisse non item. at redeamus ad locum, unde sumus profecti, (VIII 3, 58) et inspiciamus uerba haec: totidem generibus cor-

[13]) Cum hoc loco mire conspirant Tacitei Dialogi uerba haec (c 26): melius est oratorem uel hirta toga induere quam fucatis et meretriciis uestibus insignire. neque enim oratorius iste, immo hercule ne uirilis quidem cultus est, quo plerique temporum nostrorum oratores ita utuntur, ut lasciuia uerborum et leuitate sententiarum (cf Inst VIII 5, 2) et licentia compositionis histrionales modos exprimant.

rumpitur oratio quot ornatur. sed de hac parte [id est de κακοζήλῳ] et in alio opere nobis plenius dictum est et in hoc saepe tractabitur et adhuc spargetur omnibus locis. loquentes enim de ornatu subinde quae sint uitanda similia uirtutibus uitia dicemus. — particula sed Fabius se reuocat ad continuanda ea quae coepit tractare, ad enumeranda uitia ornatus. nolo, inquit, longus esse in explicanda κακοζήλου natura. nam de ea quae dicenda sunt et exstant in libro de causis et in hoc opere huc illuc sparsa inueniuntur. — quodsi in eis quae secuntur uitia uirtutibus uicina notat, nonne idem uidebitur fecisse in libro de causis? quod equidem sic se habere eo magis putauerim quod non uideo quo omnino alio modo plene dicere potuerit de natura cacozeliae atque ita, ut singulas eius sedes perlustraret. quid, quod hyperbolen quidem illic a se tractatam esse VIII 6, 74—76 ipse testatur? de uno egit ornamento: quidni suspicemur eum egisse de pluribus? itaque si non certum, at satis probabile esse censeo quaecumque in Institutione spectent ad elocutionem corruptorum, iam exposita fuisse in libro de quo quaesiuimus. —

Ne quid praetermittamus quod attineat ad elocutionem corruptorum, adferendi sunt loci quibus illos uersari Quintilianus dicit in lectione et imitatione peruersa. lectio enim et imitatio ea re cohaerent cum oratione excolenda, quod legendo copiam uerborum nobis paramus, sollerter imitando uirtutes quibus natura ingenia non donauit adsequimur. ac de lectione X 1, 43 haec exstant: quidam solos ueteres legendos putant...., alios recens haec lasciuia deliciaeque et omnia ad uoluptatem multitudinis imperitae composita delectant. — conferri possunt II 5, 10—12: e quibus haec exscribo: ne id quidem inutile etiam corruptas aliquando et uitiosas orationes.... legi palam ostendique in his quam multa impropria.... lasciua effeminata sint: quae non laudantur modo a plerisque, sed.... propter hoc ipsum quod sunt praua laudantur. — de imitatione X 2, § 14—18 haec inuenimus: .... sunt plurimi qui similitudinem pessimi cuiusque et corruptissimi concupierint .... (§ 16) cum iis felicissime cessit imitatio, uerbis atque numeris sunt non multum differentes, uim dicendi atque inuentionis non adsecuntur, sed plerumque declinant in peius et proxima uirtutibus uitia comprehendunt fiuntque pro grandibus tumidi, pressis exiles, fortibus temerarii, laetis corrupti eqs.

Peccare uidimus corruptos rebus i e inuentione et dispositione, item elocutione. peccare etiam pronuntiatione iam apparebit. ac pronuntiatio ut est extrema pars eloquentiae, ita non parui momenti. nam ad officium oratoris pertinet quae domi elaborauerit in foro apte recteque eloqui. quem ad finem uox est ita temperanda, ut et ad rem quam proferat sit adcommodata et audientium auribus iucunda. quam legem non obseruatam esse a corruptis perspicitur ex locis his: XI 1, 56: cantare, quod uitium peruasit, et XI 3, 57: quodcunque ex his uitium magis tulerim quam quo nunc maxime laboratur in causis omnibus scholisque cantandi, quod inutilius sit an foedius, nescio. quid enim minus oratori conuenit quam modulatio scaenica et nonnunquam ebriorum et comissantium licentiae similis? — quibuscum conferenda sunt quae § 59 leguntur: quod .... si recipiendum est, nihil causae est, cur non illam uocis modulationem fidibus ac tibiis, immo mehercule, quod est huic deformitati propius, cymbalis adiuuemus. — qui quidem cantus qua constiterit re Cicero docet Or § 27 hisce: cum uero inclinata ululantique uoce more Asiatico canere coepisset eqs.[14]). cantare igitur id uitium nominant quo sonorum uarietas qua differre inter se debent uoces, enuntiata, comprehensiones, ita effertur, ut tanta paene interualla exsistant inter singula quanta sint apta ad musicam. cui quidem multi sunt natura obnoxii neque tamen probandi. illud uero qui ultro adpetunt, sine dubio ex Quintiliani sententia corruptis sunt adscribendi. —

[14]) cf Ciceronem l d § 57: est .... in dicendo quidam cantus obscurior, non hic e Phrygia et Caria rhetorum epilogus paene canticum. cf Tacitei Dialogi c 26: quodque uix auditu fas esse debeat ...., plerique iactant cantari saltarique commentarios suos. saltando sine dubio immodicum gestum indicat: in quo saltatoris similitudinem fugiendum esse Fabius docet XI 3, 88 sqq. Plinius in ea ipsa epistula in qua Quintilianum praeceptorem suum appellat de canticis oratorum haec profert: (II 14, 12) pudet referre quae quam fracta pronuntiatione dicantur, quibus quam teneris clamoribus excipiantur. plausus tantum ac potius sola cymbala et tympana illis canticis desunt.

Cymbala et tympana instrumenta sunt mollis cultus illius quo uenerabantur Cybelen matrem. in quo cum eunuchos sacerdotum munere functos esse constet, grauem notam et seueram cymbalorum mentione significari sentimus. atque Quintilianus illud scribens: quod est huic deformitati propius, cymbalis adiuuemus, certissime cogitauit de deae seruis uirilitate destitutis: nam cum spadonibus corruptos ab eo conferri paulo ante iam uidimus. cf. p 4 et p 7.

Quoniam uidimus, qualis ea esset eloquentia quam corruptam esse Quintilianus putaret, non abs re uidebitur esse considerare, quam facundiae formam et speciem ipse animo conformauerit. fere fit, ut Ciceronem opinentur unum sibi imitandum illum proposuisse. ut Bernhardyus ait Historiae Litterarum Romanarum[5] in p 857 s f: Die Meister der Attischen Beredsamkeit hatten ihn seltner als die Römer beschäftigt — res certe non mira in Latino oratore! — und noch weniger sein Urteil bestimmt; um so mehr war er geneigt den Gipfel der Kunst und Inbegriff aller rednerischen Tugend einseitig in Cicero zu sehen. nec negari potest palmam ad hunc deferri cum multis aliis locis tum X 1, 112, ubi haec exstant: Cicero iam non hominis nomen sed eloquentiae,.... hunc igitur spectemus, hoc propositum nobis sit exemplum, ille se profecisse sciat cui Cicero ualde placebit. — at minime arbitratur Fabius unum fuisse Ciceronem a quo uerum dicendi genus fictum posterisque relictum sit amplectendum. paragraphis proximis laudibus illius multorum laudes adduntur. ex his delectum facit X 2, 25 ita: quid noceret uim Caesaris, asperitatem Caelii, diligentiam Pollionis, iudicium Calui quibusdam in locis adsumere? uidemus, ut Quintilianus unum Ciceronem imitandum putaret, tantum afuisse, ut quaecumque in aliis eiusdem aetatis scriptoribus laudabilia essent adsectanda commendaret. quid, quod etiam ultra hos fines procedit? quaedam in oratione innouare et ita iudicio uoluntatique aetatis aliquid concedere non uetat, sed permittit. quod patet ex XII 10, 46 sqq, ubi haec leguntur: ad cuius [Tullii] uoluptatem nihil equidem quod addi possit inuenio, nisi ut sensus nos dicamus plures .... (§ 48) ceterum hoc quod uulgo sententias uocamus, quod ueteribus praecipueque Graecis in usu non fuit (apud Ciceronem enim inuenio), dum rem contineant et copia non redundent et ad uictoriam spectent, quis utile neget? caute tamen in nouando uersandum esse discimus l d § 47, ubi haec dicit: sed me hactenus cedentem nemo insequatur ultro. do tempori, ne hirta toga (cf p 20 adn 13) sit, non ut serica, ne intonsum caput, non ut in gradus atque anulos comptum. — moderato igitur iudicio et de ceteris Ciceronianae aetatis et de eis qui post eum fuerunt censuram facit. quocum conuenit, ut id facultate data moneam, quod multis quae a ueteribus non erant usitata sermonem suum noua quadam ueste induit nouoque colore distinguit.

Sed redeamus a sana facundia ad corruptam.

3. Magistri corrumpunt eloquentiam.

Complures esse corruptae eloquentiae causas Fabium putauisse ex libri de eis conscripto nomine cognoscitur. nos ex illis unam tantum probare possumus ibi esse expositam. quam iam diximus collocatam fuisse in peruersa scholarum condicione rhetoricarum. nos hercle non primariam, sed secundariam illam fuisse causam censebimus. etenim sensu illo tenerrimo iudicioque elegantissimo, quo Cicero eiusque aetatis oratores cum supra iustum modum progredi prohibiti tum ultro adducti erant ad uere pulchrum, sensim sensimque homines sunt destituti. quod simulac fieri est coeptum, qui artem profitebantur oratoriam aut ipsi a recti studio defecerunt aut uoluptati hominum inseruire coacti sunt. itaque necessitate quadam in ipsis rebus posita euenit, ut scholae delaberentur in talem statum qualem conqueritur Fabius. at illum non uidisse fontem perniciei, sed canalem ex illo deriuatum habuisse pro fonte ipso manifestum est ex eis quae de ea re dicit II 10, 1—3: .... pauca mihi de ipsa ratione declamandi dicenda sunt, quae quidem ut ex omnibus nouissime inuenta, ita multo est utilissima. nam .... ueritatis proximam imaginem reddit ideoque ita est celebrata, ut plerisque uideretur ad formandam eloquentiam uel sola sufficere .... eo quidem res ista culpa docentium recidit, ut inter praecipuas quae corrumperent eloquentiam causas licentia atque inscitia declamantium fuerit. accedunt §§ 7. 8. .... totum declamandi opus qui diuersum omni modo a forensibus causis existimant ii profecto ne rationem quidem qua ista exercitatio inuenta sit peruident. nam si foro non praeparet, aut scaenicae ostentationi aut furiosae uociferationi simillimum est. — non est quod his addamus. uidendum igitur, cur declamatorum institutionem perniciosam esse eloquentiae Quintilianus existimauerit.

Persuasit sibi declamationes inuentas esse, ut pueri et adulescentes fictis causis agendis praepararentur ad ueras et forenses. quod recte fieri in scholis quales tum floreant infitiatur. adfirmat enim declamatores cum in umbra degant, propter ignorantiam rerum forensium operam non dare, ut ad uitae ueritatem exercitationes adcommodent, sed temere et ex arbitrio et fingere themata et thematum tractationem moderari. atque hanc inscientiam et licentiam uituperat locis qui iam sunt adferendi.

V 12, 17: declamationes, quibus ad pugnam forensem uelut praepilatis exerceri solebamus, olim iam ab illa uera imagine orandi recesserunt. — II 20, 4 (§ 3 est de ματαιοτεχνίᾳ, superuacua artis imitatione): his ego comparandos existimo qui in declamationibus, quas esse ueritati dissimillimas uolunt, aetatem multo studio et labore consumunt. cf cum his XII 11, 15. — VIII 3, 76: quod quidem genus [similitudinum] .... declamatoria maxime licentia corruptum est. ad haec in uniuersum dicta alia accedunt quibus certa crimina et declamatoribus et scholae obiciuntur uelut themata II 10, 5: .... magos et pestilentiam et responsa et saeuiores tragicis nouercas aliaque magis adhuc fabulosa frustra inter sponsiones et interdicta quaeremus. — consuetudinem declamantium qua, ne aduersariorum argumenta diligenter respecta refellant, recusare soleant falsam et a uitae commodo alienam esse dicit V 13, 36 uerbis his: [contradictiones] quidem et in foro tanquam rem molestam et odiosam praeterunt .... sine aduersario dicunt et scilicet multo magis in scholis, in quibus non solum contradictiones omittuntur, uerum etiam materiae ipsae sic plerumque finguntur, ut nihil dici pro parte altera possit. cf qs—§ 42. — similis est locus qui reperitur VII 2, 54: illa scholarum consuetudo ituris in forum potest nocere, quod omnia quae in themate non sunt pro nobis ducimus. — item huc faciunt quae leguntur VI 1, 43. IV 2, 90. III 8, 58. 59, quibuscum iuuabit conferre Petronii c 1.

Verum non modo stultos et ineptos[15]), sed ambitiosos et tumidos, molles et effeminatos atque ob id prauos inhonestosque esse praeceptores Fabius magna ira et acerbitate conqueritur. atque ut qui cum Catone Maiore putet oratorem esse uirum bonum dicendi peritum, (cf XII 1, 1) artem oratoriam

[15]) Cf responsum quod Seneca a Montano Votieno sibi datum esse narrat interroganti, cur non declamaret, Controu IX praef 1. 2. 4. 5. et alterum, Cassii Seueri illud, ex quo quaesiuerat, quidni declamando tantum ualeret quantum orando: III praef. 12—14. in quo responso maxime dignum memoratu uidetur esse hoc: in scholastica [oratione] quid non superuacuum est, cum ipsa superuacua sit? — ne ipse quidem Seneca magni aestimat rem scholasticam: quod intellegas ex X praef. 1 his uerbis: .... hoc habent scholasticorum studia: leuiter tacta delectant, contrectata et propius admota fastidio sunt. — totum scholarum statum uiuis coloribus depingit Friedlaenderus in Historiae Morum Romanorum uol III p 285—95.

illorum moribus corruptis corrumpi sibi persuadet. et ad iudicium prauum pertinent et ad mollitiem quae dicit VIII 3, 23: [agitur de lusu quodam uerborum] res .... praecipue in scholis anceps et frequenter causa risus, nunc utique, cum haec exercitatio procul a ueritate seiuncta laboret incredibili uerborum fastidio ac sibi magnam partem sermonis absciderit.[16]) — mollitiem aliquatenus tangunt quae XI 3, 57 de cantando exstant. de ambitione declamatorum X 7, 21 profert haec: declamatores quosdam peruersa ducit ambitio, ut exposita controuersia protinus dicere uelint, quin etiam, quod est inprimis friuolum ac scaenicum, uerbum petant quo incipiant. sed tam contumeliosos in se ridet eloquentia eqs. — cum ambitione magistrorum discipulorum cohaeret tumida uanitas, quam Fabius ita perstringit II 1, 12: [non uult adulescentes inter se laudare et reprehendere] at nunc proni atque succincti ad omnem clausulam non exsurgunt modo, uerum etiam excurrunt et cum indecora exsultatione conclamant: id mutuum est et ibi declamationis fortuna. hinc tumor et uana de se persuasio.[17]) — sed grauissima crimina quorum rhetores iusimulat repetit ex enerui uoluptatis studio, quo adulescentum animi ad turpitudinem adducantur, mentes ad iudicium prauissimum. haec continentur V 12, 17—23: quem locum iam pp 4 sq attuli.

Ceterum Quintilianus, — ne id praetermittam, — etsi ueras uel ueritatis simillimas causas putat in scholis esse agendas, tamen interdum materias delectationis causa fictas et poeticas tractare permittit. de qua re disserit II 10, 9—12, cuius explicationis in fine complectitur quae sentit de usu recto declamationis hunc in modum: (§ 12) declamatio quoniam est iudiciorum consiliorumque imago, similis esse debet ueritati: quoniam autem aliquid in se habet ἐπιδεικτικόν, nonnihil sibi nitoris adsumere. — quocum sunt conferenda quae leguntur in §§[is]

---

[16]) Cf Senecae Controu IV praef 9: .... quaedam [uerba] .... scholae iam quasi obscoena refugiunt nec si quae sordidiora sunt aut ex cotidiano usu repetita possunt pati. — Albucius ne scholasticus uideretur, res dicebat omnium sordidissimas (VII praef 3. 4).

[17]) Adulescentium a prauis magistris doctorum impudentia quanta fuerit in iudiciis, discimus ex Plinii epist II 14: ex qua haec sunt (§ 4): nunc refractis pudoris et reuerentiae claustris omnia patent omnibus, nec inducuntur sed inrumpunt. secuntur auditores actoribus similes, conducti et redempti.

5 et 6. — Fabius igitur cum seuero iudicio omnia damnaret quaecumque tumidam, mollem, eneruem efficerent eloquentiam, tamen non eo processit, ut quae magis oblectationi essent quam utilitati moroso tristique uultu ex schola iuberet amoueri.

Atque cum omnes locos qui reuocandi sint ad eloquentiam corruptam colligere mihi sit propositum, restat ut adferam locum ubi de illius facundiae apud multitudinem laude dicit haec (XII 10, 74—76): quod quidem [genus dicendi] placere multis nec infitior nec miror. est enim iucunda auribus ac fauorabilis qualiscunque eloquentia et ducit animos naturali uoluptate uox omnis .... (§ 75) ubi uero quid exquisitius dictum accidit auribus imperitorum, qualecunque id est, quod modo se ipsi posse desperent, habet admirationem, neque immerito. nam ne illud quidem facile est. sed euanescunt haec et emoriuntur comparatione meliorum, ut lana tincta fuco citra purpuras placet .... (§ 76): si uero iudicium his corruptis acrius adhibeas, ut fucinis sulpura, iam illum quo fefellerant exuant mentitum colorem et quadam uix enarrabili foeditate pallescant. lucent igitur haec citra solem, ut quaedam exigua animalia igniculi uidentur in tenebris. ait igitur Fabius: laudantur illi, primum quod omnis facundia qualis est cunque multitudini placet, deinceps quod omnia quae a communi uia declinant insolentia sua imperitos opprimunt atque occupant. sed laude ista eloquentia minime digna est. nam si ea quibus animos adlicit acrioris trutina iudicii pensantur, leuia apparet esse et nullius pretii. — etiam multis aliis locis, e quibus nomino X 1, 130, orator uulgi studia et iudicia a se despici et pro nihilo haberi ingenue fatetur.

Caput IV.

De corruptis deque eis oppositis.

Quintilianus ubicunque de corruptis uerba facit in Institutione, ita in illos inuehitur, quasi essent magna et uasta multitudo, in qua singulos cernere et distinguere aut nequiret aut nollet. fingit sibi, ut ita dicam, eam aduersariorum aciem, quae singulorum uirtute nihil ualeat, plurimum mole et numero. ita nimirum faciliorem sibi parauit rationem illos adgrediendi et refutandi, quam si eos qui praeter ceteros in oribus manibusque hominum essent reprehendisset et quasi duces et propugnatores ad proelium singulare prouocasset. nobis tamen aegre est ferendum, quod non enumerauit eos qui corrupti esse ei sunt uisi. et enim hercle non satis habemus scire partes sibi oppositas exstitisse in rhetorica Romana, corruptorum alteram, alteram sanorum, sed id agimus, ut homines certos utrique parti adsignemus. alio enim modo fieri non potest, ut status et condicio oratoriae artis qualis tunc fuerit in claram uocetur lucem utque appareat, quid libro de causis effecerit Quintilianus. accedit alterum. quae sit eloquentiae corruptae natura, ex illius uerbis intellegimus quidem, sed ita tantum, ut eius notionem mente percipiamus. multum abest, ut sentiamus, quae sit illa. cuius quidem ut imaginem quasi spirantem repraesentemus nobis, opus est uno dumtaxat scriptore quem inspicientes teneamus uitia corruptorum. uideamus igitur, num id quod desideremus nobis subministretur siue indiciis a Fabio factis siue memoria litterarum siue utraque re.

1) Atque si finem X 1 inspicimus, quasi digito monstrare orator uidetur unum ex corruptis, et eum uel maxime inter illos insignem. Seneca est philosophus. de quo quae illo loco §§ 125—131 leguntur diligentissime sunt interpretanda. tota autem explicatio ita instituitur, ut Quintilianus uideatur se defendere contra illos qui suo iudicio illum condemnari opinentur. hanc opinionem falsam esse adfirmat, sed ipso negando comprobat

rectum illos uidisse. dicit enim Senecae libros paene solos lectitatos fuisse ab adulescentibns, cum impugnare coeperit studia corruptorum. hoc a se improbatum esse, non quo illius scripta contemnenda existimaret, sed quod ea noluisset meliorum scriptis anteferri. ac primum quod pugnam a se contra genus corruptum factam commemorat, suspicionem mouet: colligimus enim aliquam cognationem interesse inter Senecam illudque genus. deinceps ex illis quae subsecuntur clarissime elucet esse quos Fabius meliores quam Annaeum ducat idque multo meliores. nam enuntiatum quod incipit a quos ille (§ 126) relatiuum leuiter perstringit illius studium, qui alios incesserit diuersitatis suae sibi conscius. itaque eis quae inspeximus reprehensio ita significatur, ut sentiamus haud ita recte fecisse qui Senecam aut legerint aut scribendo sint secuti. atque in hos conuertitur (§ 12, 6. 7) orator proximis uerbis. non imitatores eos fuisse dicit, sed stultos adseclas: in quo dum illius adsectatores uituperat, accidit, ut uitiis ipsum implicatum et ab antiquorum laude delapsum esse fateatur ille quidem, sed ita, ut summo crimini uertat imitatoribus, quod caeco quodam obtusi amore Senecae laudem imminuerint. et quasi uerbum uitii sibi inuito excidisse uideri uelit, iam (§ 128) laudat philosophum eiusque uirtutes multas magnasque esse dicit: praeditum eum fuisse ingenio, copia uerborum,[18]) scientia et diligentia, odio prauitatis morum iustissimo. at ne in his quidem laudibns a se potest impetrare, ut non addat deceptum eum esse aliquando ab auctoribus et non satis industriae insumpsisse in philosophia: iam uero cum incidat in elocutionem, se non continet, sed rabie quadam incitatus pugnat contra illum. haec sunt quae leguntur inde a §^{i} 129^{ae} uerbis sed in eloquendo: quae explanare non opus uidetur, quia sunt per se minime obscura. id tantum monere uolo Quintilianum negare Senecae dictionem ulla hominum eruditorum comprobatione esse dignam: hoc enim iudicio fortius et acrius cogitari uix potest. quod postquam iactauit in aduersarium, pusilli sane est momenti, quod legi eum non uetat ab illis qui bona ex eius scriptis sciant eligere. — inspectis hunc in modum professoris

[18]) Conueniunt haec cum ceteris locis quibus Seneca commemoratur: XII 10, 11, ubi eius copia, et VII 5, 18, ubi sententiarum quaedam probatur geminatio facta ab illo in scripto quod Nero ad senatum misit occisa matre.

nostri uerbis, nisi fallor, luce est clarius omnia quaecunque de Annaei admiratione proferantur, non ex animi sententia dicta esse, sed aut timore expressa, quo sit ueritus illum a plerisque adamatum quasi pede inlato adoriri, aut prudentia effecta, qua iudicio multorum pepercerit ad suas partes illos adlecturus. inuisus certe ei fuit ille, et id ob nullam aliam causam, nisi quia genere dicendo usus erat corrupto. constat igitur Senecam unum fuisse ex aduersariis, et id facile omnium grauissimum. nos autem illius scripta legentes et conferentes cum Fabianis intellegimus, quid intersit inter utriusque elocutionem, et quid illud fuerit quod Fabio audiret corruptum genus, sentimus. oboritur quaestio, utrum in libro qui fuerit de causis orator in philosophum inuectus sit necne. ex uerbis quae sunt § 125: dum corruptum.... dicendi genus reuocare ad seueriora iudicia contendo, nihil lucramur: referenda enim sunt non ad librum, sed omnino ad emendandae eloquentiae studium. rem autem per se consideranti cum indole et moribus oratoris prudentis parumque audacis non conuenire mihi uidetur, si putamus ab eo illum aperte reprehensum esse qui, inde a quo tempore fuerit magister Neronis, summa floreret auctoritate, et postquam mortem fortissime sibi consciuerit mori iussus a tyranno, in plerorumque teneretur admiratione. adde, quod si nominasset aduersarium in libro, hoc loco non potuisset id non commemorare: ita enim facere solet aliquot quos paulo ante attulimus locis. itaque eo tantum coniciendo progredi forsitan liceat, ut ex irae qua increpet illum grauitate suspicemur in libro de causis aculeos quosdam contra illum emissos esse non minus caute occultos quam in prioribus loci a nobis tractati sectionibus. qua cum re alia arcte cohaeret. quaeritur enim, num omnino in illo libro aduersarios nominatim ingressus sit. atque ex eo, quod Senecam non ausus est appellare, per se non sequitur ne minorum quidem hominum nomina ab eo ignominiose notata esse. deinceps Fabii mos est, ut, ubi rhetoris alicuius sententiae oppugnet, eum nomine appellet: quod intellegitur ex II 15, ubi de artis rhetoricae definitione disputat.[19]) neque alio modo Seneca pater conuiciis incessit rhetores qui reprehensione digni sibi uidentur esse.

[19]) Similiter Cornelium Celsum increpat I d 22. 32 et III 5, 3. 7, 25. IX 1, 18. 4, 132. XII 11, 24 (mediocri uir ingenio).

itaque non est cur infitiemur potuisse appellari unum alterumue ex corruptis a Quintiliano: sed nullum ex altera parte habemus argumentum quo factum id esse demonstremus.

2) Sed iam uideamus qui praeter Senecam corruptis sint adnumerandi.

Atque aliquo cognationis uinculo cum eis iunctus uidetur fuisse Cassius Seuerus, et ita quidem, ut multis magnisque uirtutibus excelleret, sed uitiis quibusdam laboraret quae postea cernerentur in corruptis[20]). de cuius uitiis docemur Tacitei Dialogi locis duobus. alter est in capite 19, ubi Aper, recentis facundiae adsectator, haec ait: antiqnorum admiratores hunc uelut terminum antiquitatis constituere solent usque ad Cassium Seuerum:[21]) quem primum adfirmant flexisse ab illa uetere atque directa dicendi uia. alter locus continet adcuratiorem uitiorum enumerationem. nam c 26 Vipstanus Messala, Apri aduersarius, haec contra Cassium dicit: in magna parte librorum plus uis habet quam sanguinis. primus enim contempto ordine rerum, omissa modestia ac pudore uerborum, ipsis etiam quibus utitur armis incompositus et studio feriendi plerumque deiectus, non pugnat, sed rixatur. — cum his coniungenda sunt quae Quintilianus de Cassio dicit X 1, 116 sq. laudat ibi illum, sed cum grano reprehensionis. dicit enim colorem et grauitatem orationis in eo desiderari et nimium irae eum concessisse. leuissima haec primo obtutu uidetur nota esse. sed si diligenter eam consideramus conlato altero Dialogi loco, uitia quaedam perstricta esse intellegimus quae uituperentur in

[20]) Cf Controu I 7, 15. hunc et alios locos qui huc faciunt congessit J Koerberus in Dissertatione Marburgensi anni 1864, quam inscripsit: Ueber den Rhetor Seneca und die römische Rhetorik seiner Zeit, p 64 sq.

[21]) De hoc Th Fromentus in Annalibus Facultatis Litterarum Burdigalensis, uol I (anni 1879) commentationem elegantissime conscripsit, cui titulum indidit: Un orateur républicain sous Auguste: Cassius Severus: quo ipso titulo indicatur oratoris in Caesarem uoluntatem maxime explicari. de eius genere dicendi similiter atque ego iudicat homo doctus, cum dicat haec p 132: C S contribua . . . . à répondre ce goût des traits brillants, des mots à effet et p 138: Il marque le point précis où l'éloquence romaine commence à changer de direction: il est le modèle de cette école que répresente Aper dans le Dialogue des orateurs de Tacite. — de eius patria, uita, moribus commentatus est A Weichertus in libro de L Varii et Cassii Parmensis uita conscripto, edito Grimae 1836, pp 190—204.

corruptis. defuisse cognoscimus illi oratori iustum modum quo se contineret, ne ardore animo impulsus[22]) fines sanae puraeque eloquentiae transgrederetur. unde accidit, ut res non satis diligenter disponeret, ut uerbis uteretur minus aptis ad dignitatem fori, ut uociferaretur magis quam ut demonstraret quae uellet. obseruandum est praeterea Quintilianum in enumeratione et censura oratorum Romani sermonis hunc primum non solum laudare, sed uituperare etiam. ea enim re significari putauerim illum non aliter sensisse de eo quam Tacitum.

Verum enimuero his indiciis adducti non eo procedere debemus, ut opinemur totum Seueri genus dicendi corruptum fuisse. immo uero maxima ex parte ille sanus fuit. quod primum apparet ex Senecae Controu l III praef § 2, ubi de illius facundia haec exstant: oratio erat ualens, culta, ingentibus plena sententiis: nemo minus passus est aliquid in actione sua otiosi esse: nulla pars erat quae non sua uirtute staret, nihil in quo auditor sine damno aliud ageret, omnia intenta, aliquo petentia: nemo magis in sua potestate habuit audientium adfectus. — cum his cf § 7. deinceps uir uidetur fuisse rectissimo de arte sua iudicio instructus propterea, quia de scholis declamatoriis arbitratus est diuerso ab aequalibus modo. locum, qui legitur in Controu III § 12—14 praefatione, iam attuli p 25 in adnotatione 15. ibi enim totam declamatorum disciplinam inanem et inutilem dixisse traditur: in qua re ei adsentiri nos certe debemus. ibidem refertur, quomodo Cestium Pium non modo in ipsa eius schola luserit, sed etiam ad praetorem adduxerit iurare coacturus Ciceronem disertiorem fuisse quam ipsum.[23]) denique oratoribus qui

---

[22]) Cf XI 1, 57: mihi illud Cassii Seueri non mediocriter displicet: di boni, uiuo, et quo me uiuere iuuet, Asprenatem reum uideo. de causa quae fuit insigniter memorabilis cf Th Fromentum l d p 127 sq. VI 3, 27: ex ridiculi generibus Fabius Seueri dicit id esse quod est asperum. XII 10, 11 eius acerbitatem commemorat.

[23]) Dixerit quispiam non multum tribuendum esse iudicio Senecae, propterea quod multa quae cum laude adfert ex declamationibus nobis futilia esse uideantur: unde intellegi uel ipsum illum fuisse inter corruptos. at cauendum est, ne nostro sensu in hac re nimium confidamus. nam permulta ueteribus in re rhetorica eximie placebant quae nobis mirum quantum sordent. satius erit quaerere quid Seneca de Cicerone deque oratoribus qui post hunc fuerunt iudicauerit. quodsi Controu I praef § 6 sq legimus scripta haec: quidquid Romana facundia habet quod insolenti Graeciae aut opponat

post se fuerint Cassium multo fuisse superiorem patet ex uerbis Dialogi hisce (c 26): equidem non negauerim Cassium Seuerum ....si iis comparetur qui postea fuerunt, posse oratorem uocari.... ceterum, ut dixi, sequentibus comparatus et uarietate eruditionis et lepore urbanitatis et ipsarum uirium robore multum ceteros superat. — quid, quod ipse Fabius Cassium cum nonnullis locis honorifice commemorat tum ex orationibus particulas adfert. cf VI 1, 43. XI 3, 133. — VI 3, 78. VIII 2, 2. 3, 89. quod certe non fecisset, nisi putasset eum magna ex parte laudabilem esse.

Itaque, ut ad certum iudicium quae de illo sunt dicenda reuocemus: non inter corruptos numerandus est Cassius, sed medius quasi habendus inter hos et eos qui sanam expresserunt eloquentiam. tamen ab eius dicendi genere uel potius ab eius uitiis fluxit in tempus posterum riuulus quidam pestilentiae eius quam reprimere studuit Fabius. aliter iudicat Bernhardyus H L R § 116 ([5] p 795) et adnot 544 (p 797). mortuus est Cassius secundum Suetonium apud Hieronymum 32 p Ch anno. floruit igitur imperante Augusto. cf Taciti, qui eum uidetur odisse, Ann I 72. IV 21.

3) Eisdem temporibus Fuscus Arellius, in Asia natus, fuit declamator tam insignis, ut inter optimos quattuor scholasticorum referretur a Seneca (Controu X praef § 13): a quo quae traduntur de illo omnia summa diligentia et doctrina congessit et disposuit F G Lindnerus (in progammate gymnasii

---

aut praeferat circa Ciceronem effloruit et § 11 haec de Cicerone: ingenium quod solum populus Romanus par imperio suo habuit: non facile existimabimus sano iudicio illum fuisse destitutum. accedit quod in prooemiis oratorum quos admiratur praecepta non pauca reddit quae conspirant cum Fabii de arte praeceptis. ita quae IV praef § 9 exstant conueniunt cum Inst VIII 2, 23, quae IX praef §§ 1, 2, 4, 5 cum II 10, 11 sqq. — de scholis quid sentiret Seneca, iam uidimus ex loco adn 15 adlato. itaque adstipulor Koerbero l d p 66 dicenti haec: Das Urteil Senecas war von mässiger Kraft, nicht fein, aber gesund. Mitten in dem wüsten Treiben der Rhetoren stehend, war er hinlänglich befähigt, um eben so sehr die verführerischen Abwege .... zu vermeiden als das Ziel zu erkennen, das sich erreichen liess. — Quintilianus Senecam patrem nominat cum laude IX 2, 42 sq et 98. (VIII 3, 31 Halmius in indice p 383 falso refert ad Senecam patrem: referendum esse locum ad filium recte iam uiderat Spaldingius. cf etiam Teuffelii H L R § 290, adn 5 (p 654 editionis Schwabianae).

ad aedem Mariae Magdalenae siti Vratislauiensis anni 1862). demonstrat homo doctus, quae eius fuerit oratio et explicatio, quibus usus sit figuris et sententiis, quo sit modo uersatus in diuisionibus et eligendis thematis. totum eius dicendi genus ostendit fuisse Asianum. quibus quicquam de meo addere nec possum et nolo, quia mihi non est in animo inquirere in memoriam rhetorices, sed ex eius ambitu eos colligere in quos Quintilianea notio corruptorum cadere uideatur. atque his adscribere Fuscum ita non dubito, ut dissentiam a Lindnero arbitranti p 22 sanam eum secutum esse eloquentiam. nam Asiana abundantia et luxurie eius facundiam maculatam fuisse ipse ille dixit: Asianos autem similes esse corruptorum Quintilianus dicit VIII prooem § 17. cf p 12, ubi locum exscripsi. itaque corrigendum uidetur hominis docti de Fusco iudicium hunc in modum, ut existimemus rhetorem Asia oriundum mores uernaculos secutum corrupisse eloquentiam Romanam. certe est habendus pro uno ex multis declamatoribus quos nocuisse facundiae Fabius conqueritur. Seneca de eius dicendi genere dicit Controu II praef § 1.

4) Arellii Fusci auditor fuit Papirius Fabianus, qui adulescens declamauit, post uero e schola ad philosophiam transfugit. cf Senecae Contr II praef § 1—3. egit de eo A G Hoefigius in dissertatione inaugurali Vratislauiensi de Papirii Fabiani uita scriptisque anno 1852 composita. cuius quidem in gentem, aetatem, studia philosopha inquisiuit potius quam in genus dicendi. quae enim de hoc disputat p 36—38 ita sunt comparata, ut amoris quo illum homo doctus amplectatur signa prae se ferant nimis perspicua. itaque cum praeter hunc nemo, quod sciam, de facundia Papirii data opera exposuerit, mihi sunt hoc loco partes historici tenendae. uidetur autem Papirius, quo tempore in rhetoricis uersatus est, quamuis magnis laudibus efferatur a Seneca, tamen ea facundia fuisse quam iure nominaremus corruptam. mirum profecto et paene incredibile esset, si is quem Asianus magister instituisset liber fuisset ab Asiana uecordia. ac declamationum particulas a Seneca seruatas perlegentes in duobus maxime uitiis offendimus: unum est, quod hyperboles figuram supra modum extendit, alterum, quod sententiis lusuque uerborum lasciuit. utrumque autem meminimus a Fabio reprehendi in corruptis.

Hyperbole immoderata continetur eis quae leguntur Controu II 1, 10—13: qui locus ne Hoefigio quidem adridet: cf l d p 38. thema hoc est: „Diues tres filios abdicauit. petit a paupere unicum filium in adoptionem. pauper dare uult. nolentem ire abdicat.“ pauperis filium se defendentem ita facit Fabianus, ut exponat, quanta pericula diuiti immineant, quanta detrimenta e diuitiis profluant: quae nimirum ueritum a diuite sese adoptari illum nolle. ex quibus autem rebus perniciosa diuitiarum natura perspicitur? primum ex eo, quod auri sacra fames ad bella gerenda impellit homines. iam est occasio proeliorum terrores describendi. deinceps etiam aedes a luxoriosis exstructae morte minantur possessoribus. sequitur horum quoque descriptio periculorum. tota haec ratio explicandi hyperbolica est et immoderata: maxime autem in descriptionibus quas indicaui illud inest uitium: quare has uelim legas, quas, ne longus sim, ipsas non adfero. simile hyperboles exemplum inuenitur II 5 § 6. 7. sententiarum argutias reperias maxime II 6, 4 m, ubi in patrem a filio propter uitam luxuriosam accusatum haec iactantur: non est luxuria tua qualem uideri uelis: non simulas enim ista, sed facis, nec amantem agis, sed amas, nec potantem adumbras, sed bibis, nec dedoces bona dissipare, sed dissipas. — similia exstant II 2, 4. 3, 9 m.

Qui haec consideret spero fore ut mecum iudicet Fabianum non propius quam magistrum accessisse ad sanam eloquentiam, dum quidem esset declamator. difficilius est statuere, quo genere dicendi sit usus, postquam discesserit ad partes philosophiae. nam primum Seneca pater II praef § 2 dicit tum luxuriem uerborum ab eo abiectam esse. deinde Seneca filius, qui auditor fuit Papirii, epistular XVI 5 (100) purgare eum studet a crimine incompositae et neglectae orationis: quod minime ei obiectari expectaueris qui opposito uitio peccauisse in declamando sit putandus. itaque ab abundantia se conuertisse uidetur ad incomptam simplicitatem: etenim ad hoc redit Senecae defensio, ut puram, planam, inornatam esse eius elocutionem demonstret. tamen ne nimium credamus ei qui ipse fuerit corruptorum signifer, custodiendum erit. nam idem epistul VI, 6 (58) § 6 Fabianum dicit esse „disertum et elegantem, orationis etiam ad nostrum fastidium nitidae.“ et Seneca pater l d: in summa, inquit, eius et simplicissima facultate dicendi antiquorum tamen uitiorum remanent

uestigia. ex his mea quidem sententia concludendum est Fabianum etiam philosophantem a doctrina pridem accepta non ita recessisse, ut non aliquo modo redoleret Asianum dicendi genus [24]) quae res maxime ob id alicuius est momenti, quia Seneca philosophus illum audiuit, atque si recte diximus corruptum eius fuisse praeceptorem, in aperto est, unde prima conceperit eius facundiae semina quam expresserit ipse.[24a])

5) Paulo diutius morandum fuit in Papirio. eo breuius exponere licet de L Cestio Pio Smyrnaeo. nam de eo disputauit F G Lindnerus eadem doctrina qua de Fusco in programmate gymnasii Zuellichouiani, quod prodiit anno 1858. demonstrauit homo doctus cum Arellio Cestio non modo patriam communem fuisse, sed etiam eloquentiam: Asianum igitur docuisse genus, et id tanta adrogantia, ut Cicerone se disertiorem esse contenderet. cf Senecae Controu III praef § 17. fuit igitur, ut Lindneri uerbis utur, rhetor qui praeceps decurrebat in ea uia quae tum uigebat in eloquentia quique eo potissimum famam adsequebatur et auctoritatem, quod omnia eius uitia adoptabat, qui denique non rem spectaret, sed formam, non curaret, quid diceret, sed quomodo. cui iudicio non adstipulari non possumus fonte nostro inspecto: quare summo iure eum adnumeramus corruptis. — Quintilianus Cestium X 5, 20 uituperat, quod rescripserit Ciceronis orationi Milonianae. de quo rhetorum peruersa consuetudine cf Controu III praef § 15.

6) Iunius Gallio, amicus Senecae maioris, cuius filium Nonatum postea adoptauit, dubitari potest, num merito haberi debeat pro corrupto. nam Lindnerus, qui de hoc quoque

[24]) Bernhardyus secum ipse pugnat, cum de eo dicat H L R § 51 adn 207 (= [b] p 301) haec: ein ausgezeichneter, wenn auch trockener Stilist, deinde § 123 adn 527 (= p 871) haec: F war ein eleganter, bis zum Uebermass sorgfältiger Darsteller. utrumque autem iudicium unde traxerit uir doctissimus, ego minime perspicio.

[24a]) Cf de nexu qui fuisse inter Senecam et Asianos mihi quidem uidetur E Rohdium Rh M 41, p 178: qui quidem etsi Fabiani mentionem non facit multo audacius quam ego de hac re disputat. obiciendum puto esse uiro doctissimo tam dilucidam rei oratoriae memoriam quam tenemus illorum temporum minime conseruatam esse, ut fontium e quibus Annaeanae fluxerit eloquentiae amnis originem penitus perspicere liceat: nec profecto habemus cur tam simplicem rerum seriem nobis fingamus neque in haec quaestione rectissima uia esse uerissima quoque uidetur.

declamatore egit (in programmate gymnasii Hirschbergiani anni 1868), quaestione mota sibi persuasit supra iustum modum illum non progredi, nisi quod coloribus nimis artificiosis utatur et figuris pluribus quam par sit orationem exornet. ad figuras spectare putat quae leguntur apud Tacitum in Dialogi c 26: tinnitus Gallionis. sed hoc loco sibi opponuntur impetus Gracchi Crassique maturitas, ut quae stent ab altera parte, et calamistri Maecenatis illiusque tinnitus, qui sunt ab altera. itaque extrema quaedam uitia significantur: et quod Gallionem sibi elegit Tacitus, propterea nescio an fecerit, quia in hoc uitium adfectatae elegantiae quam maxime cerni posse sit arbitratus.

Ceterum in uniuersum fateri mihi liceat difficillimum esse diiudicare, utri oratorum generi, sano an corrupto, singuli sint adsignandi. neque enim indicia quae desumimus ex libris Fabii tam certa sunt, ut quasi modulo eis uti possimus.

7) Tamen dubitandum non est, quin insanae eloquentiae exemplar dederit Q Curtius Rufus libro quem scripsit de Alexandri Magni rebus gestis: cuius libri magnam tenemus partem. quem quidem quiuis intellegit ab eo non compositum esse, ut rerum ueritatem religiose indagatam enarraret, sed ut exerceret et prae se ferret sollertiam rhetoricam: quae ratio inde ab Ephoro et Theopompo Isocrateis in usum uenerat. cf Ciceronem, de Orat II 57. Quint X 1, 74. facundiam autem, qualem Curtius usurpet, corruptam esse cum ex toto libro patet tum ex contionibus ei insertis. atque ex his specimina nonnulla mihi proferenda sunt, quae ullo instruere commentario opus esse non uidetur.

Alexander antequam ad Issum pugnam committeret, milites cohortaturus dixisse narratur inter alia haec III 10, § 5—8: Macedones . . . . . terrarum orbis liberatores emensosque olim Herculis et Liberi patris terminos, non Persis modo, sed etiam omnibus gentibus impositurus iugum. Macedonum prouincias Bactra et Indos fore . . . . non in praeruptis petris Illyriorum . . . . saxis sterilem laborem fore, spolia totius orientis offerri. uix gladio futurum opus, totam aciem suo pauore fluctuantem umbonibus posse propelli . . . . . (§ 8): inlata Graeciae bella Darei prius, deinde Xerxis insolentia, aquam ipsos terramque poscentium, ut neque fontium haustum nec solitos cibos relinquerent deditis. — proelium ad Gangamela initurus rex suos adloquitur

sententiis similiter exquisitis, e quibus unam eligo: IV 14, 6: spondere pro se tot cicatrices, totidem corporis decora: scire ipsos unum paene se praedae communis exsortem in illis colendis ornandisque usurpare uictoriae praemia. — Dareus rursus sic uociferatur §§ 14 sqq: [hostes] obteri mehercule equorum ungulis possunt, etiamsi nil praeter falcatos currus emisero .... (§ 16) implicatos ergo spoliis nostris trucidabimus, eademque res et causa erit uictoriae et fructus. quodsi quem e nobis nomen gentis mouet, cogitet Macedonum illic arma esse, non corpora.

Haec ad fulciendam sententiam quam protuli de Curtii facundia sufficere arbitror, atque id eo magis, quo facilius eiusmodi flores sese praebebunt, quicunque ambulauerit in Curtii pratis.

8) Perpauca sunt nota de Julio Africano: quam ob rem cum res lubrica sit de eius arte iudicare, tamen eum maluerim in corruptorum quam in sanorum numero reponere. nam Fabius de eo X 1, 118 haec dicit: sunt alii multi diserti . . . . eorum quos uiderim Domitius Afer et Julius Africanus longe praestantissimi: uerborum arte ille et toto genere dicendi praeferendus et quem in numero ueterum habere non timeas: hic concitatior, sed in cura uerborum nimius et compositione nonnunquam longior et translationibus parum modicus. — uituperat orator in illo uocum studium, orationem neque bene compositam et translationibus magis quam par sit exornatam: quae uitia cacozelia oriri reminiscimur. atque haec reprehensio eo grauior est, quod eis opposita est laus absoluta Domitii. itaque etsi non tam certe quam Seneca, tamen cum magna ueri specie Africanus dici potest pro corrupto habitus esse a Quintiliano. qua cum sententia non pugnat, quod idem XII 10, 11 cum laude dicit de uiribus quae insint in eius eloquentia et VIII 5, 15 honorifice commemorat locum ex oratione quam ille habuit apud Neronem de matris morte desumptum. nam ne Senecam quidem Fabius plane respuit. in Dialogi c 14 Africanus[25]) inter eos enumeratur qui a genere dicendi Ciceroniano et Asiniano recesserint. sed huic loco non multum tribuo. ibi enim etiam Domitius Afer nominatur. atque hunc Quintiliani uerbis expressis uetamur illius eloquentiae

---

[25]) Africani legendum esse pro eo quod tradunt libri Asiatici Nipperdeyus demonstrauit Rh M IX 278 sq = Opusc p 284 sq.

oppositum esse opinari. ceterum Iulius quam illustris fuerit apud aequales, patet ex Plinii epistul VII 6, 11.

9) Restat ut quaedam proferam de M Apro. hic est ille qui cum inde a Tacitei Dialogi capite 5 oratorum contra poetas propugnator acerrimus exstiterit, Materno studet persuadere, ut omissa poesi rhetoricam amplectatur. deinceps contra Messalam, temporis acti laudatorem, artem oratoriam, qualis fuerit inde a Cassio Seuero, laudibus effert c 15—23. in qua quidem re ita uersatur, ut non indulgens mori aetatis, sed certo iudicio adductus intellegatur ueteribus praeferre recentes. ex eis autem quae dicit huc faciunt haec: (c 19) nouis et exquisitis eloquentiae itineribus opus est, per quae orator fastidium aurium effugiat. (c 20) praecurrit hoc tempore iudex dicentem, et nisi aut cursu argumentorum aut colore sententiarum aut nitore et cultu descriptionum inuitatus et corruptus est, auersatur dicentem. uulgus quoque adsistentium et adfluens et uagus auditor adsueuit iam exigere laetitiam et pulchritudinem orationis .... exigitur .... iam ab oratore etiam poeticus decor .... ex Horati et Vergili et Lucani sacrario prolatus.[26]) in Cicerone quamquam quaedam probat et admiratur, tamen plurima carpit et despicit. quae uero efflagitat ab oratore qui sit aptus ad aetatem, plane abhorrent a iusto iudicio. haec leguntur in c 22 m inde a uerbis ego autem usque ad finem: e quibus supremum hoc adfero: nec omnes clausulas uno et eodem modo determinet.

Haec qui inter se et cum eis contulerit quae Fabius de eisdem rebus iudicauit, non negabit M Aprum corruptis esse adscribendum. quod singillatim explicare supersedeo, quia de corruptorum uitiis iam satis superque capitibus 2 et 3 est expositum. —

Nonnulla igitur habemus nomina quorum lumine caligo qua Quintilianus obduxit aduersarios illustretur. est autem tenendum hac inquisitione nihil nos adsecutos esse, nisi ut aliquos indagaremus rhetores et scriptores qui essent digni reprehensione Fabii, minime nobis contigisse eos inuenire quos siue nomine appellatos siue tecte libro suo adgrederetur. Senecam philosophum scimus ab eo esse impugnatum, Cassium Seuerum,

[26]) Poetico decore ut orator se abstineat, Quintilianum poscere meminimus. (cf p 16 sq cum adn 9).

Arellium Fuscum, Papirium Fabianum, Cestium Pium, Iunium Gallionem, Curtium, Iulium Africanum, M Aprum num incesserit, ne coniectura quidem suspicari possumus. satis est habendum non ignorare, quosnam suo iure ille increpare potuerit. — uenimus iam ad eos qui ab eadem parte atque ille stetisse putandi sunt.

10) Ac Iulium Secundum ex amicis suis fuisse Fabius testatur X 3, 12. quid ualuerit dicendo, indicat libri eiusdem c 1, §§ 120 et 121. quo loco etsi aliqua uitia non ita exigua opprobrio ei uertuntur, tamen multo magis laudatur quam improbatur et improbatur modo leuissimo. conferenda sunt quae exstant in Dialogi c 2 dicta hunc in modum: quamuis maligne plerique opinarentur nec Secundi promptum esse sermonem eqs et: Secundo purus et pressus, et in quantum satis erat, profluens sermo non defuit. — ex his mea quidem sententia patet Iulium inter meliores eius temporis oratores siue scriptores — composuit enim Iulii Africani uitam secundum Dial c 14 (cf adn 25) — esse referendum: itaque cum Fabio consensisse de ratione qua et dicendum sit et scribendum. dissentio igitur a Teuffelio, qui H L R § 315 (= p 712 ed Schw) censet eum a peruerso elegantiae et artificiosae elocutionis studio aequalium non alienum fuisse, etsi minus illa captauerit, quam M Aper. cf de eo Plutarchi uit Othonis c 7: ἐπὶ τῶν ἐπιστολῶν γενόμενος τοῦ Ὄθωνος; quo loco docemur Iulium scripsisse de rebus ad Bedriacum gestis.

11) De Vitorio Marcello[27]), qui mihi hic est nominandus, paene nihil notum est. tamen ex eo quod Quintilianus illi Institutionem dicauit ad Getam filium erudiendum (cf [I] prooem § 6), cum aliqua ueri specie conicimus Marcellum non modo amicissimum illi fuisse, sed etiam studiis sententiaque coniunctissimum.

12) Vipstanus Messala, qui inducitur in Dialogo c 14, ab Apro uituperatur c 15, quod non desinat uetera tantum et antiqua mirari, illorum autem temporum studia inridere atque contemnere. deinde a c 25 usque ad c 35 non minus strenuum antiquitatis se praestat defensorem quam ante Aper uehementem se praebuit insectatorem. quae legentes facile adducimur, ut

---

[27]) Nohlius et Th Mommsenus Hermae vol XII et XIII ostenderunt formam Victorius neque cum monumentis neque cum usu eius aetatis conuenire. itaque apud Fabium ubique c litera in illo nomine est delenda. loci sunt hi: [I] prooem § 6. IV prooem § 1. VI prooem § 1. XII 11, 31.

illum cum iudicio studioque non dissentire cognoscamus a Quintiliano, similiter atque hunc infensum fuisse corruptis arbitremur. etenim non modo quae de eloquentia in uniuersum sentit, sed etiam singula quae de singulis recentium profert uitiis conspirant cum eis quae Fabius de eisdem rebus censet. quae paulo post adcuratius exponenda erunt, ubi disputandum erit de ratione quae intercedit inter Taciti Dialogum et Fabii de causis librum.

13) Plinius Secundus cum et ipse epist II 14, 2 Quintiliani se esse discipulum testetur et elocutione utatur pura emendataque, non est cur dubitemus, quin etiam orationibus, quas habuit multas[28]), magistri praecepta sit secutus. et in epistulis etsi nusquam expressis uerbis facundiam corruptam ille incessit, tamen loci inueniuntur quibus illa de eo sententia stabiliatur. dicit enim Plinius austera et pressa dulcibus blandisque praeferenda esse et II 19, 6, ubi uerba haec sunt: quotus quisque tam rectus auditor quem non potius dulcia haec et sonantia quam austera et pressa delectent? et VII 18, 10, ubi haec legimus: precor, ut quandoque ueniat dies .... quo austeris illis seuerisque dulcia haec blandaque uel iusta possessione decedant. (cf § 8). deinceps binis litteris, II 5 et IX 26, ad Lupercum datis se excusat, quod in orationibus quas illi perlegendas miserit fortasse tumidior esse possit uideri. tum cacozeliae uitio eum aut liberum fuisse aut uoluisse liberum esse patet ex III 13, 4, ubi haec scribit: nec uero adfectanda sunt semper elata et excelsa. nam ut in pictura lumen non alia res magis quam umbra commendat, ita orationem tam submittere quam attollere decet. quocum conueniunt quae ait IX 26, 6: acri intentione diiudicandum est, immodicum sit an grande, altum an enorme. denique Demosthenem Caluum Tullium sibi imitandos proponit I 2, 2 et IV 8, 5. in qua re maxime est notandum Caluum ab eo appellari suum. Caluum enim constat ab omni tumore maxime abhorruisse. locum quo pronuntiationem, quae tum usu uenit, eodem contemptu atque Quintilianus despicit iam attuli p 22 adn 14. ceterum omnia quae Plinius de genere dicendi suo huc illuc sparsa refert respicienti magis ad ubertatem mihi uidetur quam ad exilitatem orationis

[28]) Loci quibus docemur de ea re congesti sunt a Teuffelio H L R § 340, 3 (= p 787 ed Schw). adfero IV 5. 9, 4. 24. V 12 orationem publicare cogitat.

inclinasse: ne in hoc quidem dissimilis praeceptoris. quo quidem ut fuit multo minor natu, in pugna qua ille decertauit cum corruptis ipse ab eius partibus stetisse non est existimandus. sed post Fabii mortem unus fuit ex eius discipulis qui aliquid ualeret et in re publica et in litteris ob eamque rem unus qui eloquentiam Quintiliani cum auctoritate aliqua propagaret.

Nam Tacitus, qui praeter Plinium inter Fabii discipulos claro nomine innotuit, — multo certe clariore quam ille auunculi sane uiri non contemnendi imitator, — Tacitus postquam uir factus est, praeceptis Quintilianeae et omnis scholae repudiatis suam sibi formauit elocutionem, quae quamuis sit artificiosa et insolens, uiuum tamen spirat colorem generosamque redolet indolem.[28a])

[28a]) Sero mihi in manus uenit liber H Meyeri Turicensis quo fragmenta oratorum Romanorum collegit anno 1842. inter quae sunt Cestii Pii Iunii Gallionis Fulii Africani Cassii reliquiae. est quoque ibi de eis breuis enarratio. quae si legissem, antequam haec scripseram, ualde essem gauisus. nunc nihil noui ex illis didici. sunt autem illae Meyeri collectiones ualde augendae ex Senecae horreis. quod si quis fecerit, laborem subibit ut non sibi iucundum ita omnibus qui rei rhetoricae student admodum gratum.

Caput V.

Quo tempore de causis corruptae eloquentiae liber sit conscriptus.

Exponere de tempore quo liber de causis conscriptus uideatur propterea recusandum non est, quia post Dodwellum, qui anno 1698 Oxoniae edidit Annales Quintilianeos nemo de ea re data opera exposuit. a Dodwello pendent quae de chronologia Quintilianea inueniuntur in libris de litterarum memoria Romanarum editis. uidetur autem opus esse non modo relatione, sed etiam instaurata disquisitione. nam neque ille quaecunque statuit ita demonstrauit, ut noua argumenta addere otiosum sit, nec uerum tam acriter dispexit, ut non aliqua corrigenda sint putanda. potest uero quaestio quae est de libro de causis non dirimi ab ea quae est de Institutione.

Atque hanc conscribere coepit Quintilianus, non antequam a munere professoris publici sese abdicauit. ipse enim dicit [I] prooem § 1 haec: post impetratam studiis meis quietem, quae per uiginti annos erudiendis iuuenibus impenderam, cum a me quidam familiares postularent, ut aliquid de ratione dicendi componerem, diu sum equidem reluctatus eqs. — discimus autem eodem loco munere functum eum fuisse per uiginti annos. iam quaeritur, quo illud susceperit anno. Hieronymus tradit in Chronico Eusebiano, quod ab eo suppletum esse ex Suetonio constat, ad annum Abr 2084 = 68 p Chr haec: M Fabius Quintilianus Romam a Galba perducitur. et ad annum 2104 = 88 haec: Quintilianus ex Hispania Calagurritanus primus Romae publicam scholam et salarium accepit et claruit. cf Suetonii editionem Rothianam p 272 no 16. — quod cum a Galba Romam ex Hispania Fabius perductus sit, non est cur dubitemus, quin eo ipso anno publica schola ad eum sit delata. neque enim intellegitur, cur de eius Romam aduentu adcurate referatur, nisi cum hoc aduentu memorabilis illa scholae publicae publicique

praeceptoris institutio coniuncta fuerit. aliam proferunt sententiam Friedlaenderus (Hist Mor Rom uol III p 274) et Bernhardyus (H L R^5 § 122 [= p 856]), qui putant Quintilianum munus professoris accepisse anno post a Vespasiano imperatore. uidentur id inde colligere, quod Suetonius in uita Vespasiani, c 18, narrat haec: primus e fisco Latinis Graecisque rhetoribus annua centena constituit. — sed ambiguum esse equidem putauerim, num his annuis, quae omnino Latinae Graecaeque eloquentiae magistris danda assignata dicuntur, significetur salarium professoris eloquentiae Romanae publici. itaque satius esse opinor uerba ita interpretari, ut ego proposui. at concedo de uno anno disceptandum non esse. — plane aberrauit a ueri similitudine F Muellerus (in libello qui est inscriptus: Viro summo G^o Bernhardy Diem natalem gratulantur D X Martii a 1840 Sem R Philol sodales et hospites interprete F^o Mueller. Halae): qui existimauit Quintilianum munus publice docendi suscepisse anno 72. — existimandus ergo est Fabius professor eloquentiae factus esse anno 68 aut paulo post. unde efficitur otium eum sibi impetrasse circa annum 88. hunc igitur habemus terminum qui uocatur post quem.[29]) sequitur quaestio quae est de termino ante quem.

[29]) E Hummelius (in gymnasii Gottingensis programmate anni 1848) in Vita sua Quintiliani putat eum anno 59 cum Galba in Hispaniam profectum Calagurri scholae praefuisse: quae est coniectura mera, non improbabilis illa quidem. sed deinceps opinatur homo doctus ab illo anno initium cepisse annos illos uiginti quos se iuuentuti impendisse Fabius dicat: itaque munere praeceptoris eum se abdicasse 79, deinde annis 86—89 librum de causis et Institutionem conscripsisse, anno 88 demum scholam publicam accepisse a Domitiano cum salario: quod quidem ei persolutum esse iam priore munere scholastico fungenti, sed ita, ut tum schola non fuerit publica. quae satis habeo adferre. libri quem de Quintiliani uita scripsit L Driesenus (Cleuiae 1845) inspiciendi facultas mihi non fuit. miram quandum et quam magis mulierculis et pueris esse quam uiris scriptam putares fabulam composuit C Pilzius: cui titulum indidit: Quintilianus. Ein Lehrerleben aus d röm Kaiserzeit. Nach [?] Wahrheit u Dichtung entworfen. (prodiit Lipsiae et Heidelbergae 1863.) immerito ad amussim criticam hanc narrationem dialogis maximam in partem expressam examinares: bona fuit uoluntas Pilzii, defuerunt uires: nam neque poetae est opusculum neque philologi. quod me perlegisse — continet plagulas 322 — non glorior: percucurri et tamen taedio incredibili sum adfectus. Th Fromentus in Annalibus Facultatis Litterarum Burdigalensis anni 1880, p 224 sqq agit de Quintiliano causidico.

Dicit Fabius l d non statim se obtemperasse amicis, qui a se de re rhetorica scribi uellent, sed diu reluctatum esse. itaque antequam illis cessit et animum induxit componere Institutionem, aliquod tempus consumpsit. deinceps II 12, 12, quae cum scripsit nondum diu in opus incubuerat, de se dicit haec: et praecipiendi munus iam pridem deprecati sumus et in foro quoque dicendi. — hinc patet, etiam postquam sibi proposuerit scribere et antequam ad scribendum adierit, aliquid temporis praeteriisse. Dodwellus (c 19 = p 1139 editionis Quintiliani Burmannianae I) eum scripsisse infra quadriennium a munere abdicato ex his suspicatur: atque id ex eo, quod adhuc scholae suae auditores iuuenes (I prooem § 1) et suos adulescentes (VII 3, 30) appellet Fabius, concludendum putat esse. sed per se apparet certum tempus ex eis quae dicat ille computari non posse. tamen si medio quodam fine terminare uolumus quae traduntur, illi quod est diu aliquot menses tribuere consentaneum est, huic autem quod est iam pridem plus certe quam unum annum. si igitur sumimus ipso eo anno quo coepta sit scribi Institutio conscriptum esse librum eius alterum: tum existimabimus Quintilianum priuatum fuisse abhinc duobus fere annis. sic ad annum 90 adducti hoc fere anno illum sese ad scribendum adplicasse putabimus. (cf Excursum ad hoc caput priorem.)

Venimus ad editionem operis. ac Fabius cum in epistula ad Tryphonem operi praemissa testetur § 1 paulo plus quam biennium Oratoriae Institutione se impendisse, uidetur perfecisse opus circa annum 92: nec tamen simulatque absoluit, emisit. sed ex eo quod l d dicit § 2: usus ... Horati consilio ... dabam iis otium, ut refrigerato inuentionis amore diligentius repetitos tamquam lector perpenderem, aliquantum temporis interfuisse inter compositionem et editionem satis apparet. quantum id fuerit, nequit dici. nonum in annum Institutionem non esse pressam, quod quidem debebat ex Horatiano illo, intellegimus ex epistulae §§ 1 et 3, quibus uereri se dicit, ne prius quam iustum sit libri sui edantur. itaque si tempus quam breuissimum libris maturescendis dederimus, unum dumtaxat annum eis concedemus. tum nobis uidebitur Institutio emissa esse circa annum 93. sed certe non habemus quo possimus demonstrare operis editionem ante annum 94 factam esse: immo uero non satis liquet, utrum anno 93 an 94 illud prodierit in lucem: quin etiam potest cogitari de anno 95.

Aliter de ea re sentit Dodwellus (c 26 = p 1147 sq Burm): qui ante annum 94 Institutionem publici iuris esse factam colligere sibi uidetur ex certo indicio. quod quidem repetit ex eo, quod, ut ait (p 1148), Quintilianus philosophiae meminit semperque cum laude, ita nimirum, ut praecipua illius decora potiori iure suae uindicet oratoriae, aemulus proinde, non inimicus eius appellandus. negat enim homo doctus ita eum iudicaturum fuisse de philosophia et de philosophis, si tum, cum illa scripserit, iam Domitianus, quid de illis sentiret, manifesto demonstrasset. atqui Caesaris edictum, quo philosophi omnes ad unum eiecti sint Roma, prodiisse anno 94: ergo ante hunc annum Institutionem esse emissam. errauit Dodwellus in eo quod anno 94 urbe philosophos esse interdictos putauit. nam Th Mommsenus in Hermae uol III p 84, demonstrat illud edictum editum esse iam anno 93, quem sequitur Friedlaenderus (Hist Mor Rom III¹ p 554). sed procul dubio recte uidit homo doctus Fabium, postquam pulsi essent philosophi, ausurum non fuisse uoluntati et sententiae dei et domini sui[30]) ita sese opponere, ut laudaret quos ille condemnasset. itaque cogemur arbitrari ante annum 93 Institutionem esse editam, si nobis persuaserimus philosophiam in honore esse habitam a Quintiliano. at in hac re Dodwellus a uero adeo aberrauit, ut optimo suo iure F Muellerus l d p 15—17 diceret uituperari philosophiam ab oratore[31].) ac Muelleri uestigia secutis nobis iam opus erit perlustrare Institutionis locos, in quibus sermo est de philosophia et de philosophis. sine ullo aut laudis aut uituperationis signo com-

---

[30]) Cf quae dicit de Domitiano IV prooem § 5: mihi .... profecto poterit ignosci, si .... nunc omnis in auxilium deos ipsumque in primis, quo neque praesentius aliud nec studiis magis propitium numen est, inuocem eqs. — tanto ibi eget auxilio, quia nepotes Caesaris ei sunt erudiendi traditi. de adrogantia qua Domitianus non modo, ut Augustus quoque, dei filius sed ipse deus, non princeps, sed dominus haberi uoluit, cf Suetonii u Domitiani c 13, maxime haec: cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistulam, sic coepit: dominus et deus noster hoc fieri iubet.

[31]) Ne Spaldingius quidem, summus uir et egregia Quintiliani familiaritate excellens, Dodwello in adnotatione ad [1] prooem § 15 (= vol I p 13 sq) facta recte respondet, sed artificioso argumento illius sententiam conatur reicere. dicit enim: uolebat sane uideri Domitianus philosophos tamquam uiros malos proscribere, non ipsam philosophiam odisse. uereor, ne nemo qui in rem inquisiuerit Spaldingio id concedat. qua de causa hoc argumentum in meum usum conuertere non potui.

memorantur philosophi V 6, 3. 7, 35. VII 9, 1. non cum laude adferuntur, sed ita, ut in honore sint, locis his: XII 11, 21 sq. II 16, 3. at altero loco de Platone et Aristotele, altero de Socrate dicitur, quorum auctoritas maior fuit quam quae posset a rhetore impugnari. quocum conuenit, quod persaepe Platonis scripta citantur. honorifice nominantur, sed non ut philosophi, sed ut exemplaria elocutionis et propter aliquam utilitatem, quam ex eorum studio percipere possit orator futurus, locis his: I 4, 4. 4, 19. 10, 13 sq. X 1, 81—84. XII 1, 4 sq. 11, 17. contra philosophi dicuntur multa illi quidem praebere quae in usum oratoris conuerti et possint et debeant, sed ipsi homines esse inertes et insipientes: XII 2, 6—10. 3, 11. cf aliqua ex parte X 1, 35 sq. uituperantur philosophi [I] prooem § 10—20. (II 21, 12.) V 11, 39. VII 3, 16. XI 1, 33—35 — aridae huic enumerationi adicienda uidetur esse breuis explicatio criminum a Quintiliano philosophis obiectorum. ac duae sunt res quarum eos ille incusat, quae ut sunt diuersae inter se, ita semper altera cum altera commiscentur. primum enim irascitur philosophis, quia de honesto deque uirtutibus atque de turpi uitiisque disputent: nam sibi persuasit munus id esse oratoris, quippe qui de uita humana in qua uersari non desinat optime et rectissime cogitet atque statuat. itaque eam partem doctrinae quae sit de moribus a philosophis arti oratoriae ereptam et in suam possessionem immerito traductam esse contendit. (I prooem 10—20. XII 2, 6 sqq. X 1, 35 sq. II 21, 12 sq.) iniuria id factum est ex eius sententia. quocum cohaeret alterum crimen. omnino non putat philosophos bonos esse homines. perspici id uel ex insolentia qua inflata ipsum illud nomen sibi adrogent ([I] prooem § 14) et inferiora omnia praeceptis suis et litteris credant (V 11, 39). praeterea esse illos inertes tristesque, a quibus alii quoque ad ignauiam et peruersitatem adducantur (XI 1, 33—35. XII 3, 11). denique cum ueteres philosophos multa et honesta praecepisse et, ut praeceperint, uixisse negandum non sit, eos qui suis degerint temporibus, plerumque claro nomine uitia celauisse ([I] prooem § 15). ut rem non tam perniciosam quam ridiculam quam secum ducat philosophia commemorat definitionem adcuratam notionum quam dissuadet ut seruitutem ad certa uerba se adstringendi (VII 3, 16). has insimulationes Quintilianus in philosophiam profert. sunt acerbissimae. quibus respectis non

multum ualent quae in philosophis si non laudat, at cum honore commemorat. ad res grammaticas et rhetoricas bene pertractandas opus esse scientia philosophiae dicit I 4, 4. 19. XI 1, 81—85. amorem quo musicam amplexi sint et Plato et Socrates commendat magistris puerorum I 10, 13 sq. perfectus qui uelit esse orator, eum ex illorum scriptis haurire debere fatetur XII 2, 6 sqq. XI 1, 35 sq. XII 11, 17, sed ita, ut illud de erepta doctrina morali philosophis uitio uertat.

Quae cum ita sint, Dodwellus sententia est falsus, cum putaret philosophos amari ab oratore. itaque cum hac sententia etiam argumentum hominis docti reiectum est quo demonstrabat ante annum quo urbe expulsi sint philosophi in manus legentium peruenisse opus Fabii.

Nos eodem fere tempore statuimus librum esse editum quo Domitianus animaduerterit in philosophos. atque hac re bene considerata intellegi posse putauerim id quod in hac quaestione admodum eo me turbauit. saepius enim accidit, ut obstupefactus me ipse interrogarem, quae tandem Quintiliani esset de philosophis sententia. exstant loci qui cum odio quo illos insectari solet non modo non conueniant, sed uehementer pugnent. omnes dico locos, ubi ex philosophis exempla adfert et dicta quibus suam fulciat sententiam: qui sunt permulti. maxime autem memorabilia sunt quae leguntur XII 2, 22 sq. ibi enim postquam increpuit philosophos, laudat Periclem quod Anaxagorae fuerit auditor, Demosthenem, quod se dederit Platoni, Ciceronem, quod apud Academicos multa didicerit. quo modo, quaeso, id ille in oratoribus laudare potuit, qui homines uanos et insanos esse philosophos dictitaret? miram habemus inconstantiam iudicii, sed quae explicari possit, si Fabium non sua sponte neque ex animi sententia inculcare philosophos sumimus, sed ex auctoritate Domitiani. atque haec coniectura ultro se offert operis tempore editi sic definito ut fecimus. ratio autem qua obtemperauit Quintilianus domino duplex cogitari potest. pro certo habemus Domitiano iam ante illud decretum philosophos inuisos fuisse. a Vespasiano non modo Heluidius Priscus, Thraseae gener, homo sectae Stoicae adscriptus, cum rei publicae liberae studium ostentaret, expulsus est et interfectus, sed etiam omnes philosophi excepto Musonio Rufo uno circa annum 73 ex urbe sunt eiecti. (cf Suetonii Vespasiani uitae c 15. Cassii Dionis epit

Xiphilineae 76, 12 sq cum Friedlaendero, H M R III 1, 552—54 sqq). mirum sane esset, si eos quibus a patre miti et humano parsum non erat filius imperiosus non modo amasset, sed omnino tolerasset. itaque non improbabile est Domitianum nutu quodam impulisse oratorem, ut in opere suo, quod a plurimis lectum iri fuit exspectandum, laudem et honestatem philosophorum deminueret. quod si sumimus, Quintilianus dum scribit Institutionem, philosophorum crimina ei inseruit, sed non potuit facere quin exempla ex illorum libris depromeret multa, quin Socratem, Platonem, Aristotelem laudaret, quin nonnulla in illa doctrina probaret. — sed aliter quoque res inter se cohaerere possunt. fortasse cum composuit opus, ita in eo egit de philosophis, ut moris erat et ut ipsi fortasse placuit, id est ita, ut honorem solitum eis tribueret.[82]) deinde edictum prodiit. iam

---

[82]) Quanquam omnino ei placuisse philosophiam non ita ueri est simile. notissimum est inde a Socrate et Platone inimicitiam grauissimam intercessisse inter philosophos et sophistas: sophistae autem quo alio nomine melius appellantur quam rhetorum? rhetores ipsi ut Lysias Thrasymachus Chalcedonius Theodorus Byzantinus faceta cauillatione a Platone in Phaedro carpuntur. post inter hunc et Isocratem, a quo ille philosopha dicendi ars fore ut excoleretur sperauerat, simultas acerrima exstitit. Aristoteles exercitationi oratoriae Isocrateae opposuit artem, quae nixa est fundamentis e philosophia sumptis: in quo studio eum subsecutus est Theophrastus discipulus. e Peripateticis unus ipse orator fuit summa laude dignus, Demetrium dico Phalereum. cf Cic de legg III 14. de off I 3. Brut 37, 285. rhetores ab alia parte inuicem oderunt philosophos. Apollonius Rhodiensis librum contra illos conscripsit. cf Schol ad Aristoph Nubes u144. Menedemum cum Charmada disputauisse Athenis de eloquentia et philosophia Antonius narrat apud Ciceronem de Oratore I 82 sqq. Dionysius deinde Halicarnassensis etsi Asianam orationem neque philosophiae neque ullius liberalis eruditionis esse participem, suam artem φιλόσοφον dicit (de ant orat prooem c 1), tamen Isocratis et Theopompi quam uocat philosophiam subtiliori rerum indagationi quae uerae philosophiae est propria longe praefert (de Isocr c 4. ad Pomp p 784 R). itaque quam dicit philosophiam ea nihil aliud quam ἐγκύκλιος παιδεία est: cuius omnes tunc temporis homines, maxime Romani, fuerunt adpetentes. atque haec uidetur fuisse causa illius philosophorum et rhetorum discidii quod utrique obliti, quae sua esset prouincia, inimicorum res ut suas repeterent. alia causa in eo sita est quem nos dicimus Gegensatz der formalen und realen i e wissenschaftlichen Bildung: qui quidem etiam nostris temporibus sane non euanuit neque unquam euanescet. cf de hac re, in quam adcuratius inquirere operae est pretium, L Spengel, Ueb d Studium d Rhetorik b d Alten. München 1842. p 17. 22.

ne principis animum a se auerteret huc illuc obiurgationes libro inspersit laudibus, quoad fieri potuit, exstinctis. mea quidem opinio inclinat ad eam coniecturam quam priore loco protuli. nam si *post* edictum Caesaris philosophorum uituperationes addidisset, futurum fuisse putauerim, ut magno clamore et indiguatione grauissima in miseros illos sapientiae studiosos inueheretur. utut haec se habent, ex iudicio quod de philosophis profert Fabius ut de anno editae Institutionis nihil potest colligi certi, ita quae uidimus de illo iudicio bene conspirant cum computatione nostra: qua incidimus in annum 93 uel 94.

Iam quaeritur, liber qui fuit de causis corruptae eloquentiae, *quo anno sit editus.*

Tota haec quaestio pendet ex libri VI^{i} prooemio, ubi de calamitatibus quibusdam domesticis Quintilianus ita refert, ut certis temporis finibus eas circumscribat. cum eis quae hinc apparent, coniungenda sunt quae de Institutionis emissae anno statuimus.

Atque illo loco conqueritur Fabius quinque operis libris perfectis priuatum se esse filio, inter duos illo maiore natu, qui *decimum* iam aetatis annum ingressus sit (§ 10). similem se cladem accepisse iam antea. nam cum librum quem de causis corruptae eloquentiae emiserit scribere fuerit adgressus (§ 3), filium minorem esse mortuum *sexto* aetatis anno (§ 6). paucis autem mensibus, ante quam hic supremum diem obierit, factum esse, ut uxor nondum expleto *undeuicesimo* anno (§ 4) morte sibi eriperetur. — ex his annum quo sribere coepit librum de causis ratiocinari possumus, simulatque annus est definitus quo *filio maiore* pater orbatus est. qui quidem cum vita decesserit post absolutos Institutionis libros quinque priores, reicimur ad computationem anni quo illos consummatos fuisse sit ueri simile. atqui uidimus fere anno 90 opus coeptum esse scribi, anno 92 fere ineunte| perfectum fuisse, nondum editum. ergo anno fere 91 probabile est quinque libros priores fuisse absolutos. hoc si rectum est, filius maior natu, quem indico littera A, in lucem est editus anno 81. mater autem est mortua anno aetatis 19°: quo anno filius quem post A pepererat, qui nobis audiat B, quinque habuit annos. ergo eo tempore quo filium B peperit ipsa a[illegible]it 14um. cum uero lege Romana uirginibus ante

annum 12um expletum nubere non licuerit[33]), colligimus anno aetatis 13° ab ea editum esse filium A. itaque mortua est sex annis, postquam maiorem filium est enixa, siue, quoniam anno 81° A natum esse sumpsimus, anno 87°.[33a]) paucos post menses matrem secutus est ad inferos filius B. ergo hic supremum diem obiit aut eodem anno quo mater aut, si illa sub finem eius anni mortua est, anno qui institit id est anno 88°. quo autem anno B mortuus est eodem Quintilianus accessit ad scribendum librum de quo agitur: hunc igitur compositum et emissum esse suspicabimur intra annos 87um et 89um.

Paucis reicienda uidetur esse Dodwelli ratiocinatio. qui anno 89 librum de causis scriptum esse sibi persuasit. pro certo habet ante illum annum quicquam a Fabio scribi non potuisse, quia annus 88, quo se abdicauit munere, „consumptus sit muneris datis acceptisque rationibus" (c 21 = p 1140 B). quas illas putauerit homo doctus esse rationes, equidem non perspicio. unde uero illud sibi petiuit, cum etiam in munere uersatus sit orator, eum quicquam componere non potuisse? multis annis ante scimus ab eo orationem contra Naeuium Arpinianum esse editam (cf VII 2, 24 et Dodwellum, c 17 = p 1137): quam quidem putandus est non magis quam suas Cicero orationes talem edidisse qualem habuerit, sed emendatam et limatam. itaque aliquod otium ei uel grauissimis officiis districto reliquum uidetur fuisse. ad illam uero falsam coniecturam Dodwellus totam deinceps computationem adligauit.

Totam ratiocinationem respicienti tenendum est ut singulos annos certe definiri non posse, ita certam esse rationem quae intercedat inter tempus libri de causis editi et emissae Institutionis. et ne anni quidem ipsi de quibus potest cogitari

[33]) cf Marquardti de uita Romanorum priuata librum, p 28, et Friedlaenderum l d I[4] p 550 sqq. F adfert locos quibus apparet etiam ante hanc aetatem uirgines in matrimonium esse ductas. sed cum id factum sit contra solitum morem, procul habendum est a disquisitione mea. ceterum uel si sumimus, — quod cur sumamus iusta causa non est, — illam undecim annos natam nupsisse Fabio, computatio uno tantum anno differt.

[33a]) In eundem annum incidit computatio E Gruenwaldi p 44 dissertationis inscriptae: Quae ratio intercedere uideatur inter Quintiliani Institutionem oratoriam et Taciti Dialogum Berolinensis anni 1883: qui quidem homo doctus, ut aliud fuit quo tetendit, hanc rem magis tetigit quam per scrutatus est.

nisi paruo temporis interuallo inter se distant. et, quod maximum est, disquisitione mea lucrari uidemur ut intellegamus eodem fere tempore Fabium munere se abdicasse et librum de causis corruptae eloquentiae conscripsisse.

Excursus ad caput V prior.

Ne quid uidear omisisse eorum quae attineant ad Institutionem conscriptam et emissam, non pigebit disserere paucis de ratione qua illam prodiisse sit uerisimile.

[I] prooem § 25 legimus haec: quidquid utile ad instituendum oratorem putabamus, in hos duodecim libros contulimus. quod scribere Quintilianus non potuit nisi eo tempore quo totum opus absolutum in manibus tenuit. itaque prooemium, in quo illa exstant, necessario colligimus compositum esse, postquam duodecim libri omnes perfecti sint. si autem, ut ita dicam, totius operis praefatio illo prooemio continetur, una simulque omnes libri editi esse sunt putandi.

Iam euoluenda sunt nobis libri IV[1] et libri VI[1] prooemia. loco priore narrat Vitorio Domitillae Augustae nepotes sibi traditos esse a Caesare erudiendos: qua re se impelli, ut, si possit, etiam diligentius et religiosius in laborem susceptum i e in Institutionem conscribendam incumbat. cuius quidem muneris dicit § 7 ipsa cogitatione se fatigari. — loco altero conqueri illum de calamitate domestica in hoc capite iam uidimus: hic est addendum apud Vitorium, quem hoc quoque prooemio appellat, conqueri Fabium. praeterea cum ceteris eius paragraphis tum 14[a] et 16[a] docemur etiam tum scribendos ei esse libros qui subsequantur.

Ex his quid concludimus? primum, nisi fallor, Vitorio notos fuisse libros tres priores, cum quarti prooemium, quartum et quintum, cum VI[1] prooemium scriberet Quintilianus: deinceps, cum prooemiis partes quoque operis quibus sint praemissa Vitorio legendas esse traditas. nam si ita non arbitrabimur, quid erit opinandum? Fabium nobis fingamus necesse erit eum qui tribus libris perfectis magister creatus puerorum loco ortorum summo ipse se interrumpat, ut rem felicissime factam amico nuntiet per epistulam, — nam haec est forma prooemii, — quam tamen ille non tum, sed postquam totum fuerit opus absolutum, una cum eo accipiat. eundemne filiolo mortuo lamentabiles dare litteras ad amicum ipso eo tempore quo Fortuna uim ei attulerit, sed legi illas litteras uelle ab amico cum absolutis Institutionis libris duodecim! minime hercle nobis putandus est Fabius fuisse homo tam ridiculus. quo ab eo tempore scripta sunt prooemia, paene eodem uel paulo post lecta sunt a Vitorio cum eisque eae operis partes quibus praecedunt. itaque primum cum Vitorio libros tres priores, deinceps quartum et quintum, denique ceteros, communicauit Quintilianus: neque hos simul omnes, sed aut singulos aut uno tempore paucos eum amico tradidisse ego supicer.

Quid uero? nonne simul omnes libros uidimus esse editos? atque iam tu nos arbitrari iubes partem ex parte Institutionem in manus Vitorii per-

uenisse? quod quo modo potuit fieri nisi editione partium facta singularum? — sane, ita est: duplici modo Institutio in publicum uidetur prodiisse: uno quo nemo nisi Vitorius et fortasse pauci amici fruiti sint, altero quo eius legendae omnibus quicunque uoluerint potestas sit comparata. prior uero prodeundi modus editionis nomine non recte indicatur, quia non per bibliopolam effecta est, sed ita fere, ut Quintilianus quae ad finem perduxisset Vitorio aliisque familiaribus mitteret. post autem omnes libri simul emissi sunt, et in hac re bibliopolae opera orator est usus. atque cum eis quae de ratione qua opus uideatur prodiisse statuimus optime conueniunt quae exstant in epistulae ad Tryphonem librarium data §° 1: efflagitasti, ut libros quos ad Marcellum meum de institutione oratoria scripseram iam emittere inciperem. immo uero si hunc locum adcurate essent interpretati, iam diu constaret quod ego demonstrabam.[34])

Excursus ad caput V alter.

Liceat pauca proferre de emendandis locis duobus libri VI qui prooemio paulo ante tractato continentur.

§ 3 exstat in A G M: num igitur optimum fuit infaustum opus et quidquid hoc est in me infelicium litterarum, super immaturum funus consumpturis uiscera mea flammis inicere neque hanc impiam uiuacitatem nouis insuper curis fatigare? eqs. pro num in S legitur nunc: quae est lectio uulgata. ac tradita lectio ferri non potest. nam enuntiato, in cuius illud initio legitur, Quintilianus sententiam indicare uult ei quae significatur particula num prorsus oppositam. putat se debuisse ab omni studiorum cura animum reuocare: quod ipse negaret, si interrogaret ita: num mihi illud faciendum fuit? quid autem scripsit auctor? particula igitur ostenditur ea quae dicantur hoc enuntiato sequi ex eis quae dicta sint enuntiato proximo. ait Quintilianus: cum propter deorum contra me iracundiam, qua inflammati filium maiorem mihi eripuerunt, nullus in me sit usus, optimum fuit — eqs. cuius enuntiati membrum quod incipit neque coniunctione per se intellegitur. quid uero est illud quod dicitur infaustum opus? liberne de causis quem modo commemorauit an ipsum id opus ad quod conscribendum adgressus est? equidem puto Institutionem intellegendam esse. etenim enuntiatum quod est inde a num usque ad ferirer nihil per se ualet, sed causam adfert, cur desperatione captus rogitet: quid nunc agam? eqs. itaque arbitror hoc uno enuntiato eum redire ad pristinae temporis memoriam, praesertim cum etiam §° 4 de calamitate qua nunc adflictus sit loquatur. nec pugnat cum hac sententia illud fuit. nam certe iam est sepultus filius tum debuit cum filio opus comburere. itaque infaustum opus nihil aliud est quam id quod tenemus. iam ansa nobis se praebet emendandi. requirimus enim terminationem qua expresse tempus indicetur quo Quintilianus

[34]) Prooemium quod falso libri primi esse dicitur toti operi est praescribendum. recto ordine qui exstat in M, — nam A incipit a § 5, — usi sunt Burmannus, Gesnerus, Spaldingius, recesserunt ab eo sine ulla causa et iniuria Bonnellius et Halmius.

scripserit Institutionem quaque opponatur hoc illi quo librum coepit componere de causis. atque haec terminatio non melius fieri potuit quam particula nunc. — tunc quod proponit legendum Spaldingius, respiceret librum de causis, quem non esse intellegendum demonstrabam. — nonne, quod scriptum fuisse coniecit Halmius, per se optime quadrat ad rem. sed adcuratius sententia Quintiliani reddi uidetur ipsa temporis definitione quae inest in nunc particula: quae quidem coniectura eo quoque commendatur quod est facillima. coniecturam eam dico, etsi inuenimus in codice S. nam cum is sit saeculi XV, in eo quoque de coniectura scriptum esse nunc putauerim. (de codicis S fide cf Halmii editionis praefationem, p VIII sq).

Multo grauiore corruptela laborant §[1] 13ae uerba quae in libris sic scripta leguntur: tene consulari nuper adoptione ad omnium spes honorum prius admotum, te auunculo praetori generum destinatum,

te omnium } spes acutis AGS / spe acutae M { eloquentiae candidatum superstes parens tantum poenas etsi non cupido lucis, certe patientia uindicet te reliqua Mg = te realiquam A = t*** liqua (eraso siglo super a) G 1 m, qui in rasura uidetur habuisse e rea (= terre aliqua S).

Patet haec omnino intellegi non posse, quippe quae ne construendi quidem enuntiati praebeant facultatem. atque ut ex fine loci initium faciamus conaminis emendatorii: apparet in extremis aliquid dici cuius causa adferatur eis quae subsequantur. quae sunt: nam frustra mala omnia ad crimen fortunae relegamus. nemo nisi sua culpa diu dolet. hoc est: si quis cum suo incommodo diu dolori se dedit, id sibi, non Fortunae crimini dare debet. ad quidnam hac consideratione homo sapiens impellitur? ad patientiam, nisi fallor. et patientiae notio inest in uerbis proximis, et ita quidem, ut principalem teneat locum. unde quid est colligendum? nempe enuntiatum antecessisse quo illa continerentur, id est quo Quintilianus se euocaret ad patientiam seque moneret, ut fortiter ferret aetatem reliquam. hoc poscimus, idque indicabitur uerbis, si conformato inde a si enuntiato legerimus: si non cupido lucis, certe patientia uindicet <me> reliqua<e> mea<e> aetat<i> i e non amo equidem uitam, sed patientia efficiet, ut aetati quae sit reliqua iura quae habeat in me concedam. — Spaldingius explicare studet uerba qualia leguntur. sed uidetur non recte statuisse de ratione quae intercedit inter enuntiatum causale et id quo res cuius illo causa adfertur ipsa indicatur.

Iam uideamus de uerbis reliquis quae sunt inde a tene usque ad poenas. nam de et, quod interest inter haec et proxima, post erit explicandum. ac prius nullam sententiam praebere recte arbitrati Buechelerus et Meiserus sine dubio manum Fabii restituerunt scribentes propius. uerbum autem finitum quod desideramus in hoc enuntiato unde accersamus? §o 12 Quintilianus summam prae se fert desperationem. ipse se condemnat, quod superstes exstiterit filii sui. haec indicant duae interrogationes quae sunt: tuosne . . . uidi? et tuum . . . potui? quarum summa continetur enuntiato quod est dignus . . . cogitationibus. inde a uerbo si §[1] inse-

quentis Quintilianus fortem animum colligit: qua re consentaneum est usque eo lamentationem perductam esse. quodsi uerba de quibus quaerimus in censum uocamus, requiritur quo tale quiddam indicetur quale est: non iam habeo, amisi et quae sunt similia. putauerim ergo pro tene legendum esse te non, post hoc dein inserendum esse teneo. quae coniectura cum est facillima, tum praebet eam qua egemus sententiam. similem loco admouit medelam Spaldingius, qui post poenas in textu conlocauit amisi signo addito interrogationis. redit hoc ad idem atque meum, nisi quod id quod ego proponebam facilius explicari potest ex librarii neglegentia. idem homo doctus inter tantum et poenas iniecit ad, quod coniungeretur cum uoce superstes. qua in re rectum eum uidisse arbitror.

quae si ita se habent, enuntiatum quod paulo ante conformauimus contrarium est ei quod incipit a si: quae oppositio ut patefiat, et corrigamus in sed necesse est.

supersunt uoces spes acutis [siue spe acutae]. Spaldingius omnium spes e proximo enuntiato falso huc delapsa, acutis s acutae in Atticae aut auitae mutandum esse censuit. fateor nullam me uidere uiam qua sperem me progressurum ad haec sananda. inter omnes autem quas homines docti protulerunt coniecturas ingeniosissima est Guilelmi et Mureti, qui spe ac uotis legi uoluerunt. itaque donec melius erit inuentum, censeo locum sic esse legendum:

te <non> teneo consulari nuper adoptione ad omnium spes honorum <propius> admotum, ... te omnium <spe ac uotis> eloquentiae candidatum, superstes parens tantum ad poenas. <sed> si non cupido lucis, certe patientia uindicet <me> reliqua<e> mea<e> aetat<i>.

Caput VI.

Inter Quintiliani de causis corruptae eloquentiae librum et Taciti de oratoribus dialogum quae intercedat ratio.

Plus uno loco nominandus et exscribendus fuit is liber qui tam diuersus est a ceteris scriptis quae sub nomine Taciti feruntur, ut non pauci homines docti alium ei auctorem uindicauerint. ego etsi certum de hac re mihi non adrogo iudicium, tamen fateor me non intellegere, cur a Tacito liber ille aureolus sit abiudicandus. ceterum ad quaestiones a me tractatas tractandasque illa controuersia minus pertinet, siquidem eisdem temporibus quibus Quintilianus opera sua, et minus et maius, ediderit, Dialogum quoque ortum esse omnes homines docti consentiunt. fuerunt quoque qui eum Quintiliano adscriberent putarentque ipsum esse hunc de quo quaesiuimus librum de causis. et quasi res certa et explorata esset, Gronouius[35]) et inde ab eo multi Dialogum eo titulo inscripserunt quem Quintilianeo libro fuisse constat. sed hanc opinionem reiecit G L Spaldingius (ad VI prooem § 3 et II 4 § 42) Schulzium et Dodwellum[36]) secutus. et tamen qui peruersam illam amplexi sunt sententiam rectissime intellexerunt aliqua necessitudine illos libros inter se coniunctos esse. itaque non inutile erit inquisitione facta considerare, quae ratio intercedat inter utrumque. de qua re pauca Gruenwaldius docet in dissertationis, (quam attuli p 51, adn 33a,) p 41 sqq. liceat autem omnia quae in Institutione

[35]) Secundum Bernhardyum H L R[5] p 682 adn 569. Secundum Spaldingium l d iam Lipsius ita est arbitratus, cf de hac re Gruenwaldium l d p 31 sq.

[36]) I H A Schulze de ea re adcurate egit in Prolegomenis editionis Dialogi quae prodiit Lipsiae 1788, p XXVI ad XXXIV: Dodwellus l d c 28 (= 1149 sq B). nuper idem tractauit Gruenwaldius l d p 42. cf p. 56, ubi falso iudicat de utriusque libri argumento.

dicta ad corruptam eloquentiam pertinere demonstrabam breuitatis causa indicare nomine de causis libri. quod quamuis non conuenire bene uideam cum exacta artis nostrae subtilitate, tamen propterea mihi permitti posse putauerim, quia sine dubio magis nostra interest Taciti et Fabii de arte suae aetatis rhetorica conferre iudicia quam libros.

Reputanti quae exponebamus de corruptae eloquentiae natura uix credibile uidebitur fuisse qui arbitrarentur — inter quos quidem etiam Gruenwaldius reponendus est, — Dialogo agi de illius causis. nihil hercle minus. corrupta eloquentia genus quoddam est dicendi: facundia est morbo implicata uel ipsa est pestis aliqua. hanc tractat et increpat, huius causas explanat Quintilianus. contra Tacitus siue personae ab eo inductae causas indagant, quibus factum sit, ut „descisceret eloquentia a gloria uetere.“ cf c 28. itaque Tacito non certum aliquod genus dicendi, diuersum illud a uero, curae est, sed lectis eorum libris qui inde a Tullio fuerunt auditisque qui sua aetate florent oratoribus ita adficitur, ut eloquentiam a fastigio quodam ad quod fuerit prouecta et pridem delapsam esse et tum quoque delabi sentiat. quo sensu et iudicio impellitur, ut cognoscat, quonam modo illa ruina exorta sit: ut quaerat de causis deminutae et fractae eloquentiae. his enim uocibus utitur Messala c 26 s f. et uere: si mihi contigit quae uolueram satis perspicue proloqui, quiuis intelleget, si Tacito in animo fuisset Dialogi argumentum titulo significare, eum aliud nomen illi indere non potuisse quam id quod dixerim. titulus enim qui est de causis corruptae eloquentiae nullo modo aptus est ad ea quae libello continentur. quae quidem breuiter comprehensa sunt fere haec:

Artes in uerbis et sermone positae sunt duae: poesis et eloquentia. poesis ut quae uersetur in rebus a communi uitae usu alienis, quasi diuina est et immortalibus sacra. eloquentiae est in fori iudiciorumque strepitu proeliari de omnibus quae hominum uitam utilem et iucundam reddunt: utriusque sua est dignitas, utraque suo fulget honore. — his praemissis c 14 ad eloquentiam solam Dialogus se conuertit. — sunt qui in arte dicendi ueteres laudent et imitentur, sunt qui recentes: et hi quidem ad eam saeculi admirationem procedunt, ut non modo nouos multo meliores putent esse quam ueteres, sed etiam hos uituperent et condemnent. at est ita: defecit eloquentia a se et

perdidit pristinam laudem. cuius rei causae sunt multae, et in ipsa facundia eiusque studiis positae et extrinsecus adlatae. etenim qui destinantur iam pueri ad publice dicendi munus, neque ita educantur a parentibus neque ita a praeceptoribus instituuntur, ut laeta seges a uiris procreetur, sed uita umbratili adsueti nugasque docti uirtutes oratoris proprias non adsecuntur. deinceps res publica nunc ita comparata est, ut eloquentiam angustioribus finibus includat quam intra quos iustum facere possit profectum. pax et concordia, quibus fruitur ciuitas, ut dona sunt per se optima et gratissima, ita non tam alunt acuuntque ingenia oratoria quam discordia qua olim ciuitas aegrotauit.

Quintilianus quid libro de causis conscripto exposuerit, quid omnino senserit de corruptis, hoc loco repetere supersedeo.

Iam si utrumque librum comparamus, uel potius quae inde a c 25 Dialogi exstant si conferimus cum eis quae Fabius et in schola et libro emisso docuisse est putandus: animaduertimus alterum scriptorem ab altero tota uia ac ratione explicandi differre, et id quidem eo modo quo Taciti ingenium ab ingenio Quintiliani diuersum fuit. nam Fabius postquam animo sibi formauit uerae eloquentiae speciem, ad huius amussim suae aetatis artem dicendi examinat. quam cum non aptam inueniat ad suum iudicium, respuit atque ignominioso notat nomine corruptae. et cum in elocutione maxime peccare eam putet, ex loco rhetorico qui est de cacozelia demonstrat, cur illa sit uitiosa. de causis deinceps quaerens eius facundiae has reperit sitas in scholis rhetoricis. Tacitus eloquentiae decursum Romanae sequens et perpendens animo suae aetatis facundiam pristinae posthabendam intellegit. deterior est: hoc sentit. quae et qualis sit et quo nomine reprehenda et quo modo, si dis placuerit, sananda: haec eius non intersunt. immo circumspicit, quibus illa labes sis effecta rebus. in qua quaestione altius tollit, ut ita dicam, oculos quam ad tectum scholae declamatoriae. in moribus hominum, in condicione iudiciorum totiusque rei publicae, omnino in uita populi Romani multa mutata, multa deprauata uidet: hinc repetit causas imminutae eloquentiae. Quintilianus magister est suae artis, cuius regulas optime callet: ergo suum est primum iudicare de rebus oratoriis, deinde praecipere, tum demum indagare in causas eius rei quam improbat. Tacitus formatus natura ad rerum memoriam intellegendam et conscribendam,

seriem et cursum rerum perlustrans medio et aequo animo quae uidet concipit. itaque non irascitur eis qui deteriore utuntur facundia quam quae fuit olim, neque uituperare neque corrigere sui muneris esse arbitratur, sed explicare, qua de causa et quo modo in eum quem cernit statum peruenerit. itaque apparet comparatione facta technica uti ratione Fabium, Tacitum historica. quae differentia cum ad totum enarrandi genus pertineat, et ultro sentitur et ex singulis facile perspicitur. ac primum quidem quaecunque in Dialogo exstant inde a capite 36 de causis eloquentiae minutae, ea Quintiliano ne in mentem quidem uenisse putauerim. ibi enim cum eloquentiae damno factum esse dicitur, ut causae grauissimae non iam ad populum agerentur, sed ad iudicia centumuiralia, ut de rebus maximis aut in urbe, Italia, prouinciis instituendis aut extra imperium gerendis nec senatus decerneret neque comitia ferrent suffragia, sed unus deliberaret. quae ex ulla parte his sint similia non inueniuntur in Institutione. — alteram causam Tacitus existimat positam esse in puerorum adulescentiumque educatione et eruditione. similiter ex scholis fluxisse corruptelam rhetorices Fabius putat. sed cum solos declamandi magistros in ius uocet, non uidet res humanas tam arcte inter se cohaerere, ut non sufficiat proximam quamque causam mali indagare, sed sit necesse descendere ad fontes reconditos, e quibus illa res quae causa esse primo obtutu uideatur et ipsa profluxerit. ita fecit Tacitus, quippe qui ex morum prauitate ad eloquentiam redundare perniciem sibi persuaderet. ea enim intellexit factum esse, ut parentes non iustam curam impenderent liberis, ut pueri iam tenera aetate, magis etiam adulescentes ad studia peruersa aberrarent, ut uiri fractam exprimerent eloquentiam. — tamen negari non potest in tractanda ea causa uel deminutae uel corruptae eloquentiae quae spectet ad institutionem iuuentutis nonnulla Quintiliano cum Tacito esse communia. conqueritur Tacitus de stultitia declamatorum, qui „fictis nec ullo modo ad ueritatem accedentibus controuersiis linguam modo et uocem exerceant“ (c 31). plane eaedem sunt querelae Fabii quae leguntur V 12, 17 sqq.; VIII 3, 76, de quibus locis paulo ante disputaui. et ut hic impudentiam, ambitionem, ignauiam et praeceptorum et discipulorum castigauit, ita ille improbat adulescentulos deduci in scaenam scholasticorum qui rhetores uocantur (c 35); non facile se dicere posse

fatetur in scholis utrumne locus ipse an condiscipuli an genus studiorum plus mali ingeniis adferant (ibid). — praeterea Tacitus cum Fabio in eo consentit, quod lasciuo et effeminato generi dicendi rude aliquod et incorruptum anteferat, si modo inter utrumque sit optandum: quod apparet ex c 26 comparatis Institutionis locis his: IX 4, 142 sq. VIII 3, 6—11. prooem II, 5, 10.

His quaedam adicienda putauerim quibus patet rhetoris et rerum scriptoris cogitationes quantumuis inter se discrepent, tamen alteras alteris interdum tangi et perstringi. unum est, quod Tacitus eloquentiae imminutionem ortam esse e moribus corruptis putat, Quintilianus praeceptores non modo inscitiae, sed etiam mollitiae et nequitiae insimulat. suspicatur igitur non in sola doctrinae prauitate causas inesse de quibus quaerit, suspicatur et ut uir probus sentit uel sensu adsequitur id quod Tacitus ingenii acumine perspexit. deinde inueniuntur in Institutione aliqua de domestica educatione deque exercitatione adulescentis in foro perficienda quae non aliena sunt a sententia Taciti. pueros iam domi corrumpi testatur queriturque uterque, Quintilianus I 2, 6—8, Tacitus c 28. cum arte oratoria ut philosophiae et iuris scientia coniungatur, suadent ille XII 2 et 3, hic c^{us} 30 et 31. adulescenti orandi studioso oratorem quem sequatur eligendum esse Quintilianus docet X 5, 17—20, Tacitus olim id factum esse cum laude enarrat c 34.

In eandem quam nos tractabamus quaestionem incidit Woelfflinus, cum Walteri dissertationis, quae est de Taciti studiis rhetoricis, censuram faceret in annalibus qui uocantur Jahresberichte, uol 3, annorum 1874/5, p 763. atque arbitratur ille priorem Tacitum disseruisse de causis deminutae eloquentiae: quas quidem causas eum dixisse esse conlocatas in mutata rei publicae forma. idem de ea re sensisse Fabium, quippe qui eloquentiam qualis fuerit re publica libera et sit admiratus et imitandam commendauerit. sed ingenuam Taciti libertatem, qua imperium Caesarum accusari uideretur, displicuisse Caesari ipsi. itaque Quintilianum timuisse, ne audax discipuli liber sibi periculum moueret: quod ut effugeret, librum composuisse quo ex aliis rebus corruptae eloquentiae causae repeterentur.[37])

[37]) Ex hominis docti uerbis adfero haec: Das Verhältnis der beiden Schriften wird wahrscheinlich das sein, dass die offene Sprache des T bei

Haec Woelfflini quamuis scite sint excogitata, tamen pugnant cum rebus de quibus satis certe statuere licet.

Ac primum quidem ille, expressis uerbis etsi non dicit, uidetur tamen putauisse et Dialogum et de causis librum eo tempore emissum esse quo Quintilianus professoris munere sit functus. Fabii autem librum editum esse, postquam is se abdicauerit negotiis, capite proximo demonstrabam. sed illa temporum computatio ut est anceps, id uiro docto largiamur, praesertim cum probabile sit adgressum esse Fabium ad illum librum scribendum fere anno 88. (cf p 51).

Sed aliud deinceps est in quo a ueri similitudine ille uidetur aberrasse. sumit enim Dialogum esse editum ante librum Quintiliani. quod si iure sumit, Dialogus est emissus imperante Domitiano. sed plurimi ex eis qui de hac re disputarunt eique grauissimi arbitri uelut Langius Nipperdeyus Huebnerus (cf Gruenwaldum l d p 45 sq) censuerunt omnino ante Neruae imperium quidquam a Tacito si compositum, at non editum esse. quod quidem de ceteris scriptis per se intellegitur, de Dialogo autem non immerito statuitur propterea, quod in eo, ut recte animaduertit Woelfflinus, de rebus publicis liberius et audacius explicatur quam fieri potuit sine offensione Domitiani. atqui quae hunc laederent periculosa fuerunt illi qui protulerat: quod optime discimus Iunii Rustici exemplo. ergo si Woelfflinum sequimur, mirandum est quod iram principis Tacitus fortuna quadam secunda effugerit. sed profecto non habemus cur insolita in Agricolae generum clementia illum fuisse opinemur. quare satius erit ex eo, quod Tacitus non sit punitus, concludere Dialogum post Domitiani aetatem editum esse.

Sufficiunt haec, ut mea quidem fert opinio, ad reiciendam Woelfflini sententiam. sed cur eam improbem, grauior etiam mihi causa est. homo doctus quam libri de causis imaginem animo informauit? quod consilium Quintilianus illo edendo secutus esse ei uidetur? composuit, inquit, ut professor cui Caesar salarium persolueret et ut homo qui in domus Caesareae lubrico pauimento cum sollertia uersaretur: componendo id egit,

Hofe Anstoss erregte und der vom Kaiser angestellte Professor und Diplomat (unde hoc Tibi desumis?) es für nötig fand, sich als Lehrer des T den Rücken zu decken eqs.

ut ipsum se tueretur contra iram apud principem immodesto discipuli libro exortam. composuit denique ita, ut ipse quae sentiret quaeque se sentire praecipiendo non infitiaretur celaret et obsequio simulato occultaret. ergo data quadam occasione uel potius Taciti impudentia coactus Fabius librum emisit. at profecto, ut aliter res inter se cohaesisse existimemus, adducimur computationibus ante factis. ex his enim apparet annis qui fuerint inde ab anno 82 usque ad annum 87 cum uxore cum nobili loco orta tum magnis praedita uirtutibus (cf VI prooem § 13 auunculo praetori et § 5) cumque duobus filiis Quintilianum beatam degisse uitam. cum per quindecim annos munere functus esset, rem familiarem sibi parauisse putandus est satis largam. non iam iuuenis erat, sed ad senectutem delabebatur aetas. multa certe fuerunt, cur cogitaret de officio abrogando. scimus autem hoc eum se abdicasse anno 88, librum de causis coepisse scribere anno fere eodem. itaque temporum ratione habita arctissime haec inter se coniuncta fuisse debemus existimare. quae quidem quo opinare nectenda esse modo? nonne ita, ut putemus, tum cum ille in otium se receperit, eum illa quae sentiret de statu eloquentiae Romanae libro exponere et in medium proferre uoluisse? ac ualde uidemur ueri speciem sequi, si suspicamur eum qui inde a quo tempore susceperit munus professoris, eloquentiam ad rectam normam redigere studuerit (cf X 1, 125), etiam priuatum quam maxime posset uoluisse impugnare istos a quibus artem suam corrumpi sibi persuaserit. nec parui momenti illum librum Fabio ipsi uisum esse ex eo patet, quod cum grauitate aliqua eum commemorat in Institutionis locis nobis inspectis: quod certe non fecisset, si rerum molestarum necessitate liber ei expressus esset. quae cum ita sint, si ita arbitramur, ut ego proposui, nexum rerum statuimus dilucidum: quem habemus obscurissimum, si adstipulamur Woelfflino. atque si paulo audacius, sed non temere, progredi licet, equidem contenderim Dialogum scribi non potuisse nisi liber de causis ante fuisset scriptus. tantus enim est consensus inter ea quae Fabius de corrupta eloquentia et ea quae Tacitus — siue quis est alius, — id enim, ut dixi, non curo, — de imminuta dicendi facultate senserunt atque exposuerunt, ut mirifica sane res esset, nisi alter ab altero penderet. atqui nemo sanus, opinor, tantum ab omni ueri similitate recedet, — quod quidem facit Gruen-

waldius l d p 48 —, ut Dialogum putaret antecessisse libro de causis, dummodo considerauerit quae consideranda esse hoc capite docebam. ergo debemus arbitrari optima quaeque a Fabio sensa et cogitata, ut ita dicam, quasi speculo quodam reflecti animo uiri cui Musa dedit hominum mores et gesta historiae lumine inlustrare id est, ut magistri mei uerbis utar: Tacitus' Dialog ist der Reflex der quintilianischen Kritik in der Seele eines Historikers.

Caput VII.

In memoria litterarum quem locum obtineat eloquentia Quintiliani.

Vidimus Quintilianum non modo cum exsequeretur munus, praecipiendo, sed etiam postquam munere se abdicauisset, libro conscribendo pugnauisse contra corruptos: quaeritur, ex diuturno bello uictor decesserit necne.

Atque de hac re quid sit putandum, docemur Institutione, docemur honoribus quos Domitianus ad Fabium detulit. nam ut Institutionem scriberet, non sua sponte ille sibi proposuit, sed impulsus ab amicis: quod apparet ex [I] prooem § 1—2: in quibus uerbis memorabile est iniunxisse amicos illi laborem maxime propterea, quod inter diuersas opiniones priorum difficillime diiudicaretur. postulauerunt igitur, ut imaginem oratoris consummati qualem ipse animo finxisset in medio conlacaret refutatis eis qui aliter atque ipse de ea re sentirent. atque amici ut quod peterent adsequerentur, summo studio egisse sunt putandi. uidentur enim Tryphoni bibliopolae persuasisse, ut Fabium suis precibus reluctantem ad opus edendum permoueret. quod fecisse illum ex epistula patet iam satis nobis nota. — senserunt igitur amici, inter quos sine dubio Vitorius Marcellus fuit, Fabium libro de causis corruptae eloquentiae conscripto tantum ualuisse in animos hominum, ut audere posset opere maiore corruptae opponere uerae eloquentiae speciem. quin etiam Caesar uidetur arbitratus esse tum optimum eloquentiae magistrum exstare Quintilianum. nam sororis nepotes ei tradidit educandos: cf IV prooem § 2. quo munere honorificentius Fabio tradi non potuit, si licet sequi Spaldingii coniecturam ualde probabilem. is enim in adnotatione quae est ad l d putat nepotes illos Domitiani sororis eosdem esse pueros quos princeps imperii esse successores uoluisse traditur a Suetonio in uitae Domitiani

capite 15.[38]) — accedit quod Domitianus etiam consularibus ornamentis Fabium honorauit: quod narrat Ausonius in gratiarum actione p 290 ed Bip [=p 195 Toll anni 1669]. cf Iuuenalis sat VII 186 sqq.

Quae cum ita sint, non est quod dubitemus, quin post librum de causis editum homines eruditi reiecta facundia peruersa amplecti coeperint sanam ueramque. ac nescio an corruptae eloquentiae adseclas libro superatos Quintilianus deuicerit et humi strauerit opere illo maiore, quo doctrinae egregiae uberem copiam effudit, sapientiam ex usu forensi utilissime promptam probauit, rhetoricae denique artis rationem et disciplinam eleganti prudentique iudicio praescripsit. certissime enim admirabilia sunt ingenii Romani monumenta duodecim illi libri, qui messem fructumque continent non unius aetatis.

Sed haud ita diu hominum studia et iudicia in uia permanserunt praeclara quam muniuerat Fabius. Hadriano imperante non minore quam qua fuerat ille auctoritate floruit M Cornelius Fronto: is enim tum oratorum obtinuit principatum. de quo cf M Hertzii doctum lepidumque libellum inscriptum Renaissance und Rococo (Berolini 1865) p 26 sqq. eloquentia autem quam homo Africanus docuit ut non fuit corrupta, ita plane abhorruit ab artis legibus a Quintiliano con-

[38]) Qui ibi commemorantur, filii sunt Flauii Clementis, patruelis Domitiani. quem in matrimonio habuisse Domitillam docemur a Dione Cassio [Xiphilini excerpta, 1 67, c 14]: qui illam dicit fuisse συγγενῆ i e consanguineam Clementis. quodsi filii Clementis et Domitillae re uera fuerunt nepotes [i e Enkel] sororis Domitiani, quam item nominatam esse Domitillam dicit Suetonius, u Vespas c 3, Domitillam minorem natu filiam fuisse maioris necessario colligimus. [ad rem cf Philostrati uitam Apollonii VIII 25 (= I p 338 K) cum Reimari ad Dionis l d adnotatione]. — quod uero Th Mommsenus in indice Plinii editioni Keilianae (quae prodiit Lipsiae a 1870) addito sub uoce M Fabius Quintilianus dicit Clementem fuisse maritum Domitillae, Domitiani sororis, calami lapsu ei uidetur excidisse. nam stemma gentis Flauiae quod statuit C I L VI 1 ad titulum n 948 [p 173] plane conspirat cum coniectura Sp[i]: ex cuius sententia stemma hoc est:

Domitianus Aug   Domitilla [soror] I
|
Flauuis Cl [frater Vespasiani.] — Domitilla II
|
filii, successores futuri Domitiani.

stitutis. sane, subuertendam ille facundiam Senecae putat, cum eum conferat per comparationem mire excogitatam cum praestigiatore qui calculos in altum iactos primoribus labris captet [ad M Antonium de orationibus, p 156 ed Naberianae. cf p 21 sq]. Sed Ciceronem quamuis laudet nonnullis locis [epistular ad Verum I 1 p 114, ad M Antoninum de eloquentia 1 = p 145], uno fateatur multo esse maiorem ipso [ad amicos I, 14 = p 184], tamen uirtute censet ea carere, in qua summam suae eloquentiae ponit gloriam. ait enim [ad M Caesarem et inuicem l IV 3 p 63): is mihi uidetur a quaerendis scrupulosius uerbis procul afuisse uel magnitudine animi uel fuga laboris uel . . , . itaque comperisse uideor . . . . cetera eum genera uerborum copiose uberrimeque tractasse . . ., quom tamen in omnibus eius orationibus paucissima admodum reperias insperata atque inopinata uerba, quae nonnisi cum studio atque . . . . . multa ueterum carminum memoria indagantur. — uituperat his uerbis Tullium, quod non satis diligenter uersatus sit in delectu uerborum, et id maxime uetustate insignium. itaque uerbis quae rara sint et uetustatis quadam rubigine infecta undique conquisitis excoli iubet orationem. cuius studii multa apud eum inueniuntur testimonia. sic dicit in epistula ad M Antoninum de eloquentia data I [p 140]: ubi uerborum praesidiis opus est, non uoluntariis tantum quae ultro obueniunt utemur, sed latentia dicemus. eundem monet epistula III [p 151] ita: ut . . . . imaginem aliquam adcommodares, figuram iniceres, prisco uerbo adornares, colorem uetusculum adpingeres, et laudat [p 152]: scis uerba quaerere, scis reperta recte conlocare, scis colorem sincerum uetustatis adpingere. [cf etiam p 162.] his reputatis quis infitiabitur cadere in Frontonem, quod Fabius dixit de corruptis, inani eum circa uoces studio senescere? et tamen corrupt iuirium aliquantum habuerunt et sanguinis, ipsi de suo aliqua innouauerunt, uoces ut peruersas ita ab ipsis inuentas usurpauerunt. Fronto longe aliter: inaudita illa et inopinata quae inserit orationi ipse non fingit, quia tantum non ualet, sed promit ex latibulis ubi per multum temporis cum salute sermonis Romani occulta fuerunt. qua est sagacitate, inuestigat elegantias quarum est cupidus in obsoletis M Porcii Catonis, Enni, Acci, Naeui, Gracchi, Plauti libris (de his cf Ad M Caesarem et inu IV 3 = p 62. III, 11 = p 48. de feriis Alsiensibus 3 = p 224]: in eorum igitur

libris quos iam Horati aetas propter obscuritatem et asperitatem reformidabat. non mirum est, quod Sallustium et Varronem, ueterum adsectatores, simili amore fouet atque ipsos illos [cf Gellii N A XIX 10]: quanquam uerendum est, ne in his non quae laudabilia sint, sed tantum quae uetusta duxerit imitanda. quocum bene conuenit, quod libere fatetur [Ad M Caesarem et inu III, 15 = p 52] adpetendum esse genus dicendi oblicum et interdum dissimulatum. quid igitur huius eloquentiae magistri est proprium? hoc, nisi fallor, ut primum orationem nudam et exhaustam efficiat remoto omni ornamento quod eius natura poscitur: deinceps ut nudam et deformem sumptis a ueteribus laciniis induere et comere uano labore conetur. stupet huiuscemodi hominis admiratione A Gellius: quod apparet ex narratiunculis quibus de eo refert XIII 129 XIX 8. 10. 13. II 26. e quibus id quoque intellegitur fuisse multos qui in talis magistelli uerba iurarent. nobis pro certo habendum est Quintilianum huius sectae eloquentiam non magis sanam iudicaturum fuisse quam eius in quam libro inuectus est. et tamen ex Frontonianis is exstitit cuius scripta legentibus rediuiua esse hercle uidetur ipsa ista facundia corrupta, quam Fabius fortasse sperauerat nunquam in ora hominum reuersuram esse. nam Apuleius Madaurensis ab ariditate et ieiunitate ad tantam abundantiam tantumque tumorem se conuertit quanto fuisse uix unum ex Quintiliani aduersariis opinere.[39])

At Apuleius magna ex parte pependit ab ea Graecorum facundia quae appellatur altera sophistarum ars. quam quidem artem qui profitebantur, etiam apud Frontonem et Gellium magno in honore fuerunt.[40]) itaque ut melius appareat, qui fuerit rhe-

[39]) Cf quae H Kretschmannus in dissertatione de Latinitate Apulei conscripta (Regimonti 1865) exponit p 3—8 et Friedlaenderi H M R III[1] p 367 sq. illum in litteris saeculi primi docte adumbrandis plane neglexisse Quintilianum admodum miror.

[40]) Honorifice dicunt de Polemone Fronto p 23 N, Gellius de Herode Attico I 2. IX 2. VIII 10 (de Fauorino IV 1. VIII 2. XII 1. XIV 1. XV 8. XVIII 7). Apuleius plane eodem quo sophistae utebantur modo res per se paruas exquisitis uerbis et poetico spiritu inflatus praedicat, ut pulchrae feminae capillum Metam II 8 sq.

torices status in saeculis p Chr n primo alteroque, de sophistis paucis uidetur esse exponendum[41]).

Circa annum 75, quo tempore Tacitus Dialogum fingit esse habitum, Nicetes sacerdos, Smyrnaeus, Romae a multis magna admiratione auditus est. cf Dial c 15[42]) et Philostrati u sophist uol 2, p 24 Kayserianae ed. deinceps ut Romanis ualde placeret, Isaeo Assyrio contigisse auctor est Plinius epist II 3, 1 his uerbis: magna Isaeum fama praecesserat, maior inuentus est. sub Hadriani imperio docuerunt Dionysius Milesius [Philostr l d p 35 K], Lollianus Ephesius [ibid p 38 sq], Marcus Byzantinus [ibid 40 sqq], Isaei discipuli, et discipulus Nicetae qui fuit Scopelianus [ibid p 27]. qui homines quid dicendo uoluerint efficere, perspicias ex eo quod Philostratus [uol 2, 24 K] dicit de Niceta: ἡ ἰδέα τῶν λόγων τοῦ μὲν ἀρχαίου καὶ πολιτικοῦ ἀποβέβηκεν, ὑπόβακχος δέ καὶ διθυραμβώδης, τὰς δ'ἐννοίας ἰδίας τε καὶ παραδόξους ἐκδίδωσιν, ὥςπερ οἱ βακχεῖοι θίασοι τὸ μέλι καὶ τοὺς ἑσμοὺς τοῦ γάλακτος. a ueritate uitae rerumque humanarum alieni sophistae operam dederunt soli uoluptati auditorum. quo oblectandi studio commoti uerba fecerunt, minime de rebus quibus tum hominum animi adficiebantur, sed ad illas quae permultis saeculis ante immortali gloria Graeciam inlustrarant. sic Scopelianus optime calluit in Medicis bellis enarrandis [p 33]. Dionysius finxit Demosthenem post pugnam Chaeronensem ad senatum Atheniensium uerba facientem, Marcus Byzantinus Spartiaten aliquem induxit suadentem ciuibus, ne illos qui Sphacteriae capti essent ab Atheniensibus nobiles uiros in urbem reciperent: posita

---

[41]) Egregia arte describit sophistas C Lehrsius in commentario cui titulum indidit: Scenen aus dem gelehrten Leben bei Griechen und Römern (= Populäre Aufsätze, Leipzig 1856, p 184—93): quem sequitur Friedlaenderus l d p 360 sqq. fusius exponit de eis E Rohdius, Der griechische Roman p 288 sqq et alia considerandae rei ratione H Baumgart, Aelius Aristides als Repräsentant d sophist Rh ds 2. Jhrhs der K-Z, Leipzig 1874, p 36. cf maxime p 41. 43. 47. praeterea egit de sophistica arte Bernhardy Innere Gesch d gr L p 517 sqq.

[42]) Alius est Nicetes quem Seneca laudat Controu IX 2, 23 aliisque locis, ut recte monet Th Mommsenus in indice Pliniano s u. quod fugit E Rohdium, qui l d p 290, adnot 1, confundit utrumque. rectum uidit nuper: cf Rh M 41 p 183. cf Suetonium apud Hieronymum ad a Abr 1984 = 32 a Chr n. hic certe anno p Chr n 75 Ephesum uel Mytilenas concentu scholasticorum et clamoribus quatere non potuit, ut ait Tacitus Dial c 15 de Nicete.

enim ab eis esse non bene scuta [p 40]. atque insana talia sophistae ita solebant proferre, ut de qualibet re ab audientibus proposita ex tempore orarent.

Ad summum honoris fastigium per talem facundiam prouecti sunt Polemo Laodicensis, Herodes Atticus Atheniensis, Aelius Aristides Mysus[42b]), Phauorinus Arelatensis. quamquam hic magis inter philosophos est numerandus. ac Polemo quidem ab Hadriano oratione impetrauit, ut Smyrnaeis magnam pecuniam condonaret, qua illi templum et gymnasium aedificarunt [Philostrat p 42]. eundem imperator cum Athenis Jouis Olympici templum perfecisset, in eius gradibus ad populum dicere iussit [p 44]. Antoninus Pius cum Smyrnae in illius domo noctu deuerti uellet, a sophista magno clamore pulsus est de ianua. [p 44, 5.] nec tamen iratus est. quodsi tantam iniuriam imperator non est ultus admiratione rhetoris commotus, quanto stupore quantoque gaudio in eius labris haesisse uulgus est putandum! apud Herodem, qui diuitiis suis artis gloriam auxit, imperator Marcus litteris se excusat, quod ei diu non scripserit [p 70]. Aelius praeclarum illum principem oratione adduxit, ut Smyrnaeam ciuitatem, cuius urbs terrae concussu paene deleta fuit, condonatione facta adiuuaret [p 87]. ac ne hi quidem, qui illustrissimi habiti sunt inter sophistas, meliora sciuerunt proferre quam qui eos antecesserant minores. Polemo quidem traditur a Philostrato [p 48] causam finxisse qua Demosthenes se defenderet contra accusationem corruptelae a rege Persarum effectae. idem narratur dixisse de rebus quae in bello Peloponnesiaco ut fieri potuerant, ita nunquam erant factae.[43])

[42b]) Aristides ab ceteris sophistis eo differt quod grauior et multo sanior fuit orator. de qua re cf Rohdium Rh M 41, p 186—189. tamen ne is quidem Asianum tumorem plane respuit. Isocratem uidetur imitatus esse. cf l d p 183. 188. Baumgartio autem quae sophistarum fuerint propria ita expressisse Aristides uidetur ut ex eius ingenio et arte imaginem sibi finxerit artis sophisticae qualis fuit altero aetatis Caesarum saeculo. de qua re cf libri titulum et libri p 9 sq.

[43]) Cf quae Philostratus dicit de Polemone II p 52: ἡ δὲ ἰδέα τοῦ Πολέμωνος λόγων θερμὴ καὶ ἐναγώνιος καὶ τορὸν ἠχοῦσα, ὥςπερ ἡ Ὀλυμπιακὴ σάλπιγξ, ἐπιπρέπει δὲ αὐτῇ καὶ τὸ Δημοσθενικὸν τῆς γνώμης, καὶ ἡ σεμνολογία οὐχ ὑπτία, λαμπρὰ δὲ καὶ ἔμπνους ὥςπερ ἐκ τρίποδος, de Herode p 72: ἡ ἐπίπαν ἰδέα τοῦ λόγου χρυσοῦ ψῆγμα ποταμῷ ἀργυροδίνῃ ὑπαυγάζον. Philostratus ipse illos quos admiratur nempe imitatur eodem modo quo Gellius Frontone

Quid igitur iudicamus de sophistis? nonne instaurare uidentur genus illud Asianum quod inculcauerant Dionysius Halicarnassensis et Caecilius Calactites? quod ne arbitremur, eo profecto non prohibemur, quod constat in delectu uerborum sophistas Atticorum desudasse. totum enim genus dicendi intelligitur diuersum ab ingenua orationis Atticae indole et quam simillimum Asianae feritati fuisse.[44])

In Asiana igitur dici potest facundia desiisse eloquentia Graeca, Romana in corrupta. neque igitur Dionysius neque

---

[44]) Haec sententia profertur a Rohdio in libro de fabulis Romanensibus Graecis conscripti, p 290 sqq, maxime 290 adn 1. opinionem plane ab hac diuersam exposuit G Kaibelius Hermae vol 20, p 497 sqq. is enim a Dionysio aut praeparatam aut procreatam esse sophistarum artem studet probare. obstupebit quisquis illa ingeniose excogitata legerit: qui examinauerit non adsentietur, ut opinor. ne Rohdius quidem est adsensus, sed Rh M 41, p 178 sqq mira quadam acrimonia in uirum doctum inuehens causas quibus ille inuentum suum inauditum fulciebat grauissimo impetu humi sternere sibi uidetur. atque illud quidem Kaibelii quo arbitratur Dionysio cum sophistis commune fuisse ἐγκυκλίου παιδείας studium frustra subuertere conatur p 170—72. quod uero dicit ex eo quod Attica uerba sophistae conquisiuerint non concludi posse ab Asiana oratione artem sophisticam fuisse alienam: uerum penitus perspexisse Rohdium equidem contenderim. nam ex eis quae adfert p 173—75 luce clarius apparet uel si ipsam Atticam redoluerint sophistarum uerba, tamen elocutionem multis nominibus Asianae fuisse simillimam. nam maxime Kaibelium fugisse mihi uidetur, — quod illius cum pace liceat dicere, — quod aliud est uerba caute eligere, aliud totam orationem ad certum quendam modulum conformare: quanquam uerum est delectum uocabulorum pertinere ad elocutionis formam. sane: sed illo delectu facto frustra conabere adsequi, ut sermonem cuius illa sunt membra quasi disiecta tua oratio spiret et redoleat. — Asianorum facundiam a Dionysio repressam illam quidem at non deuictam esse, immo uero durauisse usque ad Nicetem a quo nouum robur acceperit, Rohdio non concesserim (cf illum l d p 178—183). omnino ignoscat mihi ille audenti repetere quae paulo ante, adn 24[a], dicebam: cauendum uidetur esse in his rebus indagandis ne informemus animo nexum rerum et temporum qui primo obtutu splendore quodam nos adliciat, acriorem trutinam non sustineat. itaque multum hercle abest ut subscribam quod dicit l d p 190: So steht er denn vor uns, der Sprössling des Asianismus, die zweite Sophistik, alle Spuren natürlicher Vererbung im Gesicht tragend, τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον. etenim iurare in uerba magistri non possum alterius utrius. de sophistarum arte pauca, sed rectissima dicit Wilamowitzius in libro qui est de Antigono Carystio doctissimo p 173 (= Philol Untersuchungen, Heft 4): quae conferas uelim.

Quintilianus id sunt consecuti quod sibi proposuerant: ut in omne tempus prauis studiis reiectis artem oratoriam ad ueram sanamque normam reuocarent. similes hercle egregii illi sunt homines studiis et iudiciis, quibus Demosthenem alter, alter Ciceronem oratoris exemplar intellexit esse et aequalibus reddidit imitandum[45]): similes sunt etiam in eo, quod fortuna eis non permisit aedificium solidam firmamque exstruere. qua de re fortasse dolendum est, non mirandum: scimus enim perraro fieri, ut singulorum opera hominum multitudinis studia a cursu quo ferri coeperint deflectantur. itaque uix accidere potuit, ut hominum iudicia, simulac artificiosa captare non desierunt in oratione, reducerentur ad infucatae pulchritudinis amorem. potuit sane accidere, sed tum tantum, si ingenia exstitissent quibus dei robur tribuerent maius quam quo ceteri tunc temporis homines essent. tales enim heroes adsequi solent ut motu quodam ingenti cui resisti non potest aequales secum trahant ac uel inuitos rapiant, uelut

---

45) Cf E Gros, Examen critique des plus célèbres écrivains de la Grèce par Dénys d'Halicarnasse préf p V: [Quintilianus] héritier des doctrines de ces grands maîtres [Platonis et Ciceronis] et né dans un siècle de décadence, . . . par généreux effort, il tenta de relever les statues de Cicéron et de Tite-Live [?], trop longtemps délaissés. p VI: Au moment, où il [Dionysius] écrivit ses traités de critique, les lettres grecques étaient à peu-près dans l'état où, plus tard, Quintilien trouva les lettres latines. — ceterum Dionysii et Caecilii aliquos libros notos fuisse Fabio inde patet, quod illorum τέχναι III 1, 16, libri de figuris compositi IX 3, 89 adferuntur. cf IX 4, 88. atque Caeciliana scripta euoluta esse ab illo non facile infitiabitur qui inspexerit locos hos: III 6, 48. V 10, 7. IX 3, 38. 46. 91. 98: quapropter Burckhardtius in dissertatione qua collegit Calactitae fragmenta (Basileae 1863) illa inter rhetoris reliquias recte uidetur recepisse p 40—82. cf p 19. multo plura monet me Wilomowitzius Casimirum a Morawsky esse expiscatum: quem uideo in Dissertatione Berolinensi, quam inscripsit Quaestiones Quintilianeae, typis expressit Posnaniae 1874, p 33—41 statuere complura Fabii et Calactitae, cuius artem nos cognoscere ex Alexandri de figuris libello putat homo doctus, communia esse. hinc ingeniose ille coniecit fuisse inter auctores quos Q secutus sit IV 2, 32 etiam auctorem Alexandri. — utinam omnino in fontes Quintiliani ita indagari possit ut cognoscamus unde probus ille professor eloquentiae horrea sua tam exquisita doctrina impleuerit! haec esset res grauissimi momenti. sed dolendum est hoc fieri non posse nisi cum fructu exili. exilia sane sunt quae inuenit P Teichertus in Dissertatione Inaugur Regimontana anni 1884, quam audacius quam rectius inscripsit de fontibus Qui rhetoricis. quamquam non homo doctus est arguendus, sed Fabius, qui fontes suos caute occultauit.

Lutherus fecit, fecit Lessingius. at non ea fuit aetas Dionysii, non ea Quintiliani. senescebant populi antiqui et quasi canescebant: homines qui uigorem et uiriditatem instaurarent procreare non potuerunt. sensim sensimque elegantia uenus pulchritudo euanuit, sordes immanitas barbaries inuasit: atque iam diu antiquitas fuit emortua, cum Germani expugnauerunt terminos imperii Romani.

Indices.

1.
Index nominum et locorum.

(loci quos emendabam asterisco * insignes sunt.)

2.
Index hominum doctorum
quorum in hoc libro adferuntur sententiae.

VITA.

Natus sum C G R Augustus Reuter Gryphiswaldiae VI Id Mart 1860 patre Hermanno, tum in illa, nunc in hac academia theologiae professore p o, matre Augusta oriunda e gente nobili Uslaro-Gleichensi: qua me infantem orbatum esse lugeo.

Fidem confiteor Euangelicam.

Ab anni 1866 auctumno Vratislauiae usque ad aestatem anni 1876 gymnasium quod est ad aedem S Elisabet frequentaui: cuius scholae memoriam pie colere non desino. per duos annos gymnasii Gottingensis fui discipulus: unde maturitatis testimonio instructus me transtuli ad uniuersitatem Georgiam Augustam philologiae operam nauaturus. sed per quattuor annos grauissimo morbo paene ab omni studio prohibitus sum: intra quos annos ciuis academicus fui Rostochiensis aestate anni 1879, Viadrinus hieme 1880/81, academiae technicae Dresdensis auditor hieme 1881/82. semestribus hibernis 1878/79, 1879/80, tum intermissione non facta inde ab auctumno 1882 usque ad mensem Augusti 1886 fui in numero studiosorum huius Almae Matris. docuerunt me Bechstein Foerster, Dove Hertz Kaibel Reifferscheid Rossbach, Hettner, Baumann Bruns Dilthey Milchhöfer Sauppe Schultz Volquardsen De Wilamowitz-Moellendorff, uiri clarissimi et doctissimi.

Seminarii Regii Gottingensis philologorum sodalis fui ordinarius per duo semestria, exercitationibus ut interessem archaeologicis Foerster et Milchhoefer, philologis Bruns, metricis Wilamowitz, historicis Volquardsen benigne permiserunt. omnibus magistris meis quantum debeam semper grato pioque animo recordabor. praecipua uero beneuolentia Iuonem Bruns et Udalricum de Wilamowitz-Moellendorff studiis meis esse opitulatos hoc loco quam libentissime profiteor mihique gratulor.

Examine rigoroso absoluto me conuerti ad rem bibliothecariam discendam: cuius rei facultatem benigne mihi dedit Dziatzko, Academiae Gottingensis bibliothecae summus praepositus.

Typis societatis typographorum Vratislauiensium.